FLORÆ AUSTRIACÆ

VOLUMEN QUINTUM,

CONTINENS

ICONUM

CENTURIAM QUINTAM.

FOLIO
QK318
.523
1778
v.5

FLORÆ AUSTRIACÆ,

SIVE

PLANTARUM SELECTARUM

IN

AUSTRIÆ ARCHIDUCATU

SPONTE CRESCENTIUM,

ICONES,

AD VIVUM COLORATÆ, ET DESCRIPTIONIBUS,

AC

SYNONYMIS ILLUSTRATÆ.

VOL. V.

OPERA AC SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

TYPIS JOSEPHI MICHAELIS GEROLD,

AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXXVIII.

Mo. Bot. Gàrden,
1895.

In tabula tituli proponuntur montes cum arce templariorum dicuta in vicinia oppidi Medling, variorsibus planis divites.

TABULA QUADRINGENTESIMA PRIMA.

CYCLAMEN EUROPÆUM. *Linn. syst. p.* 151.
Cyclaminus europæus. *Scop. carn.* 1. *pag.* 136.
Cyclaminus flore cernuo, segmentis sursum reflexis. *Hall. hist. helv. num.* 635.
Cyclaminus. *Cam. epit. pag.* 357.
Cyclaminus odorato purpureo flore. *Clus. hist. pag.* 264.

Radix rotundum sistit depressulumque tuber, carnosum, intus album, foris fuscum, fibris emissis undique jubatum & perenne, ex quo intra terram veluti causiculus brevior, & ex hoc cum folia tum pedunculi sive scapi unissori egrediuntur. Folia sunt ex reniformi subrotunda, obtusissima, obiter crenulata, supra saturate virentia maculataque, subtus plerumque ex rubro purpurea, glabra, donata petiolis longissimis teretibus & rubentibus. Pedunculi petiolis sunt similes, eriguntur in flore, in fructu spiraliter contorquentur ad tellurem usque. Flores cernui & suaveolentes calycem habent campanulatum viridem. Petalum eleganter purpureum cum collo saturatiore dividitur in lacinias obtusiusculas & planas. Filamenta infiguntur fundo tubi corollæ. Antheræ magnæ flavent, inque canum circum germen connivent. Stylus albus tubum petali longitudine æquat. Capsula coriacea & purpurascens ad apicem primo, dein tota quanta multivalvis dehiscit. Receptaculum hemisphæricum, carnosum, molle, albidumque, in centro capsulæ locatur, proprio pedicello sustentatum. Eidem semina externe adhærent plurima, magna, rufa & subreniformia. Crescit passim in sylvis subalpinis, tum etiam quibusdam in aliis demissis; florens Aprili Majo & iterum Augusto. Ad marginem tabulæ capsula expansa cum acceptaculo; dein semina repræsentantur.

TABULA QUADRINGENTESIMA SECUNDA.

DIPSACUS SYLVESTRIS. *Dod. pempt.* 5. *l.* 5. *c.* 16. *Blackw. t.* 50.
Dipsacus fullonum. *a. Linn. syst. p.* 120. *Scop. carn.* 1. *p.* 97.
Dipsacus capitulis ovatis, caule foliis arcuatis circumvallato, aristis squamarum rectis. *Hall. hist. helv. num.* 198.

Dipsacus sylvestris aut virga pastoris major. *Raub. pin.* 385. *Moris. hist.* 3. *p.* 168. *s.* 7. *t.* 36. *f.* 3.
Labrum Veneris sponte proveniens. *Lob. ic. alt.* 18.
Labrum Veneris alterum. *Cam. epit.* 432.

Ex radice fusiformi, digitum crassa, perpendiculari, sæpe vel pedem longa, foris & intus albida, lignosa, & dura, primo anno sola folia radicalia prodeunt, altero sine his caulis unicus, quando planta post maturatum fructum emoritur. Folia sunt oblonga, opposita, acuta, primi anni obtusiora, obtuse & inæqualiter crenato-serrata, glabra, majora pedalia; nervo medio antice pallente; subeus protuberante unaque cum paucis venis lateralibus in spinulas recurvas albidas & subtriangulares elevato. Folia summa sunt sessilia, integriora, lanceolata, & distincta; reliqua sunt basibus suis late connata; & hinc post pluvias aquam copiose continent, aviculis in potum. Caulis erigitur ad humanam altitudinem, fistulosus cum nodis impervijs, basi teres, dein angulatus, tum striatus, spinulis rectis, quales in foliis, totus horridus, superne ex alis ramosus, inque pedunculos longos erectos & uniflores terminatus. Flores colliguntur in capitulum densum, ovatum, erectum; in ramis aut plantis magis pumilis quandoque subrotundum. Squamæ sub flosculis carinatæ, albæ, superne ciliatæ & virescentes, atque hinc excurrentes in mucronem aristatum rectum & vix pungentem. Involucri foliola a decem ad viginti, rigidula, subulata, mucronata, integerrima, magis minusve sursum arcuata, dorso & ad oras inferne spinulosa, longitudine omnino valde inæqualia, extima quædam longissima. Flosculi numerosissimi, æquales, florem, qui in medio sunt, primi, atque dein superiora & inferiora versus successive proxima. Perianthium proprium tetragonum, campanulato-patentissimum, ore ciliatum, virens, exiguum, medio germini insidet. Hoc itaque est inferum, tetragonum, villosulum, oblongum, album, ore multicrenato. Petali tribus longe infundibuliformis, albus; limbus quadrifidus, patens, brevis: laciniis subrotundis, obtusis, integris, purpureis, infima longiore. Antheræ carneæ. Semina receptaculo communi oblongo insident, columnaria, striata, fusca, glabra. Crescit in herbidis ad sorobes, rivulos. Floret a fine Julii ad Septembrim. Vel in cultis seræ capituli rectæ perstant; quare a Dipsaco follonum separavi.

TABULA QUADRINGENTESIMA TERTIA.

DIPSACUS LACINIATUS. *Linn. syst. pag.* 120. *Hall. hist. helv. num.* 198. *s.* Dipsacus folio laciniato. *Raub. pin.* 385. *Moris. hist.* 3. *p.* 158. *t.* 7. *t.* 36. *f.* 4.

Planta biennis cum priore Dipsaco crescit & floret, ab hac tamen vere diversa, & culta non mutabilis, cujus sufficiat sola adducere discrimina. Folia caulina sunt pinnatifide laciniata, laciniis oblongis vel lanceolatis. Summa tamen integra, & hi magis connata. Petali laciniæ non purpureæ, sed constanter pallide carneæ sunt; & antheræ pallent.

TABULA QUADRINGENTESIMA QUARTA.

ARENARIA VERNA. *Linn. syst. pag.* 313.
Alsine alpina glabra tenuissimis foliis, floribus albis. *Herm. par. pag.* 12. *tab.* 12.

Frequentissima in collibus gramineis siccis occurrit, florens Majo & Junio. Radix perennis, longa, subamara, pallida, ramosa, & multiceps, plurimos annuatim caulicolas promit herbaceos, teretes, erechusculos, graciles, a tribus ad sex uncias altos, inferne gia-

glabros, superne dense hirsutulos perque plures dichotomias patentes ramosos. Pedunculi hirsuti terminant ramulos, & solitarii etiam alii in dichotomiis locantur. Folia radicalia & caulina sunt sessilia, acuta, glabra, opposita, & recta. Ad ramos autem lanceolata, acuta, concava, & breviora. Calycis foliola sunt lanceolata, acuta, concava, pilis subcapitatis hirsutula, lineis albidis interne magis conspicuis notata. Petala subovata, albida, patentissima, calycem ad unam tertiam partem superant. Filamenta subulata, alba. Antherae luteae. Germen ovatum. Styli albi. Capsula conica, glabra, fuliacea, longitudine calycis. Semina reniformia, compressa, fusca, ad octodecim. Pilos, nudo oculo aegre notandos, sculptor in icone omisit.

TABULA QUADRINGENTESIMA QUINTA.

LEONURUS MARRUBIASTRUM. *Linn. syst. pag.* 396. *Scop. carn.* 2. *p.* 409.
Marrubiastrum foliis cardiacae. *Bocc. mus.* 2. *p.* 120. *t.* 98.

Planta biennis vel annua, exiguo lamii odore, ex radice ramosa fibrosa & albida caulem unum alterumve attollit tripedalem (culta etiam duplo altiorem) tetragonum, erectum, foliosum & ramosum. Folia sunt lanceolata, opposita, petiolata, acuminata, serrata, venosa; caulina inferiora in cultis rotundato-ovata & magis [illegible]. Caulis, rami, calyces, corollae, [illegible] pagina subtus villis mollibus sunt, ad solum microscopium bene conspicuis. Verticilli circiter vigintiflori, fulciti involucro polyphyllo, bracteis setaceis spinosis. Flores sunt parvi. Calycis quinque denticuli in spinulam rigidam abeunt. Petali carnei faux longa supra calycem valde incurvatur. Galea rotundata. Labii inferioris laciniae laterales semiovatae; intermedia duplo major & subrotunda. Antherae subovatae, fordide virentes, dulcamarae, teretes, nullis punctis adspersae. Reliqua ad clarissimum Linnaeanum. Crescit haud frequens in cultis, ad pagos. In Hungaria frequentior. Floret a Julio ad Septembrem.

TABULA QUADRINGENTESIMA SEXTA.

POTENTILLA SUPINA. *Linn syst. pag.* 350. *Crantz. a.* 2. *p.* 149. *t.* 27. *f.* 2.
Fragaria supina. *Crantz. [illegible] pag.* 73.
Pentaphylloides supinum, Tormentillae facie. *Cat. hg. p. CVIII.*
Pentaphyllum supinum, Tormentillae facie. *Joh. ic.* 692.
Pentaphyllum supinum [illegible]. *Park. elm.* 285. *t.* 106 *f.* 7.
Quinquefolia [illegible]. *Bauh. pin* 326.

Ex radice saepe plus quam annua, ramosa, longa, foris fuscescente & intus alba caules in ambitum sparguntur herbacei, prostrati, semipedales vel duplo longiores, teretes, saepe rubentes, hirsutuli, dichotomi. Folia radicalia & caulina sunt pinnata & petiolata; summa ternata & saepe subsessilia: foliolis ad lentem hirsutis, oblongis vel ovatis, obtusis, terminatis, utrinque virentibus, dorso pallidius. Stipulae ovatae, acutae, integerrimae vel tantum serratae. Pedunculi folitarii & uniflori in dichotomiis, in floribus subrecti, in fructibus retroflexi. Calycis subpilosi foliola decem subaequalia virent. Petala calycem vix superantia, obtusissima, & versus basim angustiora, flavent. Genitalia corollae sunt conformia. Semina ex ovato subrotunda, rugosa. Crescit in cultis, ad aggeres, prata, & alibi. Primo aetatis anno floret ab Augusto ad Octobrim, altero jam Majo.

TABULA QUADRINGENTESIMA SEPTIMA.

GYPSOPHILA REPENS. *Linn. syst. pag.* 306.
Saponaria radice lignosa, maxima; foliis glaucis, pulposis; floribus emarginatis. *Hall. hist. helv. num* 905.
Caryophyllus saxatilis, foliis gramineis, minor. *Bauh. pin.* 211. *Barr.* 11. 126.

Tota glabra est. Ex radice sublignosa, subfusiformi, longissima, digitum minimum crassa, intus albida, foris fuscescente, insipida, fibris aucta, & admodum multicipite, caules exoriuntur numerosi, dense cespitosi, prostrati, perennantes; ex quibus annuatim enascuntur rami herbacei, erecti, a tribus ad sex uncias alti, simplices, ad genicula purpurascentes, superne in paniculam imperfecte trichotomam soluti. Folia sunt ex lanceolato linearia, acuta, glauca, crassa, sessilia, opposita, uncialem longitudinem rarissime attingentia. Calycis lacinia sunt lanceolatae, acuminatae, concavae, cum linea media longitudinali atrovirente vel purpurascente, cumque oris membranaceis albidis. Corollae subcampanulatae cum limbo patentissimo petala sunt versus basin paulatim attenuata, plana, magis minusve emarginata, utrinque nivea, & calycem superantia ad duplum. Filamenta alba patent, petalis haud multo breviora. Antherae didymae, subrotundae, initio albidae, deinde subviolaceae. Crescit in alpibus. Floret Septembri. Clarissimus Schivereck ex alpibus Tyrolensibus mihi plantam misit, floribus dilutissime roseis, quam nullo alio possim momento ab illa distinguere. An alterutra sit Gypsophila prostrata Linnaei? Et alterum forte mera varietas?

TABULA QUADRINGENTESIMA OCTAVA.

SALIX ARBUSCULA. *Linn. syst. pag.* 648 *flor. suec. pag.* 348. *flor. Lapp. num.* 352. 360. & 360. *Gunn. fl.* 1. *num.* 21. *f.* 166.

Frutex oblongus, ramosus valde, decumbens partim, partimque adscendens aut erectus, pedem unum altitudine aequans, trunco digitum crassus, cortice ex fusco cinerascente obductus, etiam et ramis, qui rectum rubent, cortice tegit. Folia sunt inverse ovata, acuta vel obtusa, breviter petiolata, tenuia, facie laete virentia & splendentia, subtus venosa cinerea nitidaque, utrinque glabra, leviter serrata serraturis ad lentem cartilagineis rotundatis ac fuscis, iisque saepe perpaucis, aut, ut vix appareant, exiguis, raro alias integerrima. Petioli quandoque raros pilos habent. Ad novellos ramulos stipula altius lirata, bifida, nitida, lata, emarginata, amplexans, eadem decidua. Pedunculi hirsuti amenta sustinent cylindrica. Flores dioici. Calycis squama ovata dorso nigrescit, pilis albis longisque subtus hirsuta & ad oras ciliata. Crescit in alpibus, ubi floret Junio. Exsiccatus odorem aliquem habet. Cum trunci ramosi parte ex stirpe feminea exhibetur etiam pars ramuli masculini; tum seorsim stipula vi expansa; & aucta calycis squamula. In icone serratura quibusdam in foliis manifesta nimis est, quam oculis haud ita percipiatur; sed sculptor hoc vitium vix evitat in foliis minimum serrulatis; nam aut integerrima illa sculpit, oportet, qualia, etiamsi vel oscitanter spectata, credi possent; aut nimis illa profunde secabit.

TABULA QUADRINGENTESIMA NONA.

SALIX FUSCA. *Linn. syst. pag.* 649.
Salix pumila, folio utrinque glabro *Bauh. hist.* 1. *p.* 217

Radix lignosa, longa, digitum minimum crassa, intus albida, foris ex rufo fusca, caules spargit plures, glabros, nigrescentes, ramosos, procumbentes & fruticosos. Rami juniores breves & valde hirsuti virent. Folia sunt lanceolata vel obverse ovata, acuta vel acuminata, rarius obtusa, integerrima, alterna, breviter petiolata, versus petiolum attenuata, utrinque lucida, facie glabra, dorso glabra vel tantisper pilosa, idque imprimis ad nervum medium, venisque reticulata minutissimis, ad oras lanuginosa, læte virentia. Pedunculi pilis albis mollibusque dense vestiuntur. Amenta sunt cylindrica, erecta, & ad basin foliis minoribus instructa. Squamæ sunt lanceolato-acuminatæ & pilosissimæ. Capsulæ acutæ & rufæ. Maribus flores diandri. Tota planta sapore pollet valde adstringente. Crescit in alpibus. Floret Majo. Fructescit Julio. Fœmineæ fructescentes sistuntur duæ varietates, altera minor, altera foliis julisque majoribus, utraque sylvestris; tum ramulus masculus.

TABULA QUADRINGENTESIMA DECIMA.

HIERACIUM AURANTIACUM. *Linn. syst. pag.* 523.

Hieracium caule subnudo; foliis ovatis, integris; floribus umbellatis, aurantiis. *Hall. hist. helv. num.* 50.

Hieracium germanicum. *Col. ephr.* 2. *p.* 28. *t.* 30.

Hieracium non laciniatum alpinum, flore fusco. *Bauh. pin.* 128. *prodr.* 65.

Pilosella polyclonos repens major syriaca, flore amplo aurantiaco. *Moris. hist.* 3. *p.* 78. *t.* 7. *s.* 8. *f.* 7.

Lactescit tota. Radix perennis, ramosa, per stolones infra terram repentes novas plantas producit. Folia radicalia plura, in orbem posita, lanceolata, acuta, viridia, denticulata, pilis rigidulis & incanis utrinque dense vestita. Caules pauci, erecti, lineati, teretes, plus minus pedales, uno alterove folio simili instructi, quandoque plane aphylli, pilis etiam ex atro bulbillo ortis hirsuti, superne in pedunculos aliquot corymbose dividuntur. Flores suavi odore violarum pollent, atque adamussim cum characterem Linnæano congruunt. Calyx atris pilis totus obducitur. Corollulæ profunde quinquedentatæ colore conspicuæ sunt utrinque saturate & eleganter aurantiaco. Antheræ & lævi flavent. Semina striata & nigra pappo coronantur pilloso. Crescit in subalpinis. Floret Majo & Junio.

TABULA QUADRINGENTESIMA UNDECIMA.

CAMPANULA THYRSOIDES. *Linn. syst. p.* 160. *Jacq. vind. pag.* 211. *Obs. bot. part.* 1. *pag.* 33. *tab.* 21. *Scop. carn.* 1. *pag.* 148.

Campanula foliis lingulatis, asperis; floribus hirsutis, densissime spicatis. *Hall. hist. helv. num.* 688.

Campanula foliis echii. *Bauh. pin.* 94.

Trachelium thyrsoides. *Clus. hist. pag.* CLXXII.

Alopecurus alpinus quibusdam, Echium montanum Dalechampii. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 809.

Radix albida, digitum minimum crassa, aliquot uncias longa, ramis emissis aucta, primis annis folia numerosa in elegantem rosam expansa promit, tandem caulem, quando post fructus maturatos perit. Folia omnia sunt oblongo-linearia, integerrima, sessilia, aspera, pilosa, ciliata, tres quatuorve uncias longa, superiora successive breviora magisque acuta, tandem squamas referentia, dum omnes flores in apicem spicæ usque comitantur. Caulis erectus, simplicissimus, unicus, a dimidio pede ultra sesquipedem longus in diversis indivi-

duis,

duis, totus foliis vestitus densissime, angulatus, purpureus, & pilis candicantibus hirsutus, in spicam foliosam longam abit. Bracteæ ad flores geminæ, pallidæ, acutæ, ciliatæ, elongato-lanceolatæ. Flores sessiles, omnino numerosi, axillares, grate suboderati, solitarii, & in inferioribus foliis quandoque bini vel terni. Calyx viridis, pilosus, tubo corollæ brevior vel æqualis, in lacinias quinque lanceolatas dividitur. Corolla alba, intus & ad oras lanuginosa; laciniis semiovatis. Nectarii valvulæ lanuginosæ. Germen inferum. Stylus superne hirsutus. Stigma trifidum virescit. Capsula obverse ovata & trilocularis est. Crescit in pratis subalpinis. Floret Julio. Fructus Augusto maturescit. Icon plantam sylvestrem majorem sistit, Augusto ineunte lectam, quando medii flores jam in fructum abeunt, & soli adhucdum pauci in vertice & in infima spicæ parte vigent. Ad latus habetur flos singularis cum bracteis suis.

TABULA QUADRINGENTESIMA DUODECIMA.

POLYGALA AMARA. *Linn. syst. p. 470. Scop. carn. 2. p. 48. Crantz. fasc. p. 438.*
Polygala procumbens, foliis imis subrotundis, supremis lineatibus. *Hall. hist. helv. num. 343.*
Polygala buxi minoris folio, flore cæruleo. *Vaill. par. p. 161. t. 32. f. 2.*
Polygala vulgaris, foliis circa radicem rotundioribus, flore cæruleo, sapore admodum amaro. *Bauh. pin. 215.*

Tota planta glabra est, & prata atque pascua, imprimis alpina, incolit. Radix perennis, lignosa, tenuis, semipedalis, ex fusco pallens, & fibris aucta, sapore gaudet subaromatico & amaro, odore autem vix ullo. Multiceps in cauliculos breves procumbentes plures in cæspitem sæpe densum dispescitur, rosulam gerentes foliorum, quæ sunt obverse ovata, etiam acutiuscula, tenuia, crassiuscula, versus basin attenuata, amarore prædita intenso, tibique diu inhærente. Caules herbacei, subrecti, semipedales vel breviores, etiam subramosi, angulati, foliis vestiti sparsis, angustis sublanceolatis, acutis, saporis ejusdem; ceterum simplicissimi, rarissime ramosi, terminati racemo florum plerumque ex cæruleo violacearum, paucioribus in individuis ex purpureo rubentium. Calycis, corollæ concoloris, foliola sunt ferme æqualia, oblonga, concava, petalis fere duplo breviora. Corolla ut in vulgari. Fructus etiam similis.

TABULA QUADRINGENT. DECIMA TERTIA.

POLYGALA MAJOR. *Bauh. pin. 215.*
Polygala vulgaris major. *Clus. hist. pag. 324.*

Cum Clusio hanc plantam a Polygala vulgari separo; quæ per totam Austriam vulgatissima, præterquam quod colore florum valde variet, semper constans in habitu suo, nunquam ad majorem illam accedit, montanam plantam, elegantissimam, sabulosa cretacea & sicca loca amantem. Si tamen varietatem quis velit, nam certe nullam (si staturam & magnitudinem partium excludas,) discriminis notam, aliam adferre possum, spectabilis tamen varietas seorsim tradi meretur. Tota est glabra. Ex radice lignosa, perenni, calamum & ultra crassa, sordide pallente, subodorata, & sapore prædita aromatico forti ac singulari, plures annuatim caules herbacei exsurgunt, plerumque simplicissimi, a dimidio ad totum pedem alti, dense foliosi, teretes, suberecti, in racemos longos terminati. Folia sunt crassiuscula, lineari-lanceolata, sessilia, acuta, integerrima, sparsa, suberecta, saporis herbacei. Flores inodori, toti quanti una cum pedicellis eleganter rubropurpurei, ante explicationem

eriguntur, dein patent, tandem in fructu penduli. Calyx & alæ in fructu virent cum striis purpureis. Calycis foliola obtusiuscula ciliis ad oras albis gaudent. Vexilli diphylli laminæ sunt ovales, mutuo incumbentes in formam ovato-concavam; ungues angusti longissimi & tubo carinæ arcte appressi. Carina tubulosa cum appendice multifida. Germen pedicellatum. Capsula obverse cordata, compressa, bilocularis, lateribus dehiscens. Semina solitaria, teretia, fusca, pilis albis retrorsum hispidula, tecta in apice hilo albo trifido. Floret Majo & Junio. Ad latus tabulæ exhibentur ala, capsula, semen; idemque auctum.

TABULA QUADRINGENT. DECIMA QUARTA.

MYAGRUM PERENNE. *Linn. syst. p. 431. Scop. carn. 1. p. 10.*
Myagrum biarticulatum. *Crantz. fasc. pag. 6.*
Myagrum siliculæ articulo primo stricto, altero globoso striato. *Hall. hist. helv. num. 525.*
Rapistrum monospermum. *Bauh. pin. 95. prodr. 37. Mapp. alt. p. 266.*

Inter segetes inque pratis Danubio vicinis crescit, florens Junio, perficiens Julio semina. Radix perennis, digitum vel pollicem crassa, teres, longissima, sordide pallens, intus alba, sapore gaudet rapæ, sed simul valde acri. Caulis annuus, bipedalis & ultra, angulatus, medulla alba factus, suberectus, inferiora versus pilis albis reflexisque hispidus, supra medium in ramos quam maxime est paniculatus. Folia sunt pinnatifida, acuta, petiolata, dentata, utrinque aspera; laciniis acutis. Flores numerosissimi. Calycis foliola oblonga, obtusa, concava, & erectiuscula, cum flavedine virent. Petala lutea, patentia, obverse ovata, obtusissima, & calyce duplo longiora, paulatim abeunt in unguem tenuem. Filamenta & antheræ colorem calycis habent; hæ oblongæ, tandem fuscæ. Siliculæ rugosæ articulus superior est ovatus styloque rostratus. Inferior oblongus, angulatus, tenuior. Uterque unilocularis & monospermus.

TABULA QUADRINGENT. DECIMA QUINTA.

PRIMULA AURICULA. *Linn. syst. p. 150. Scop. carn. 1. p. 133.*
Primula umbellifera; foliis serratis, glabris, carnosis. *Hall. hist. helv. num. 612.*
Auricula ursi. *Cam. epit. p. 706.*
Sanicula alpina lutea. *Bauh. pin. 242.*

In alpibus Austriacis frequens planta, semper occurrens ibidem floribus luteis & odoratis, nunquam cæruleis aut purpureis, luteumque etiam colorem, culta jam per plurimos annos in horto, servans constantissime. Radix perennis rupium tissuris & saxosis innascitur, calami vel digiti crassitie, foris fusca, fibrillis albidis crassisque aucta, sæpe multiceps. Folia promit plura, obverse ovata, versus basin angustata, obtusa, sessilia, crassa, ratione plantulæ sesquencialia vel semipedalia, tota glabertima vel subtilissime villosula, simulque pulvere albido veluti adspersa, magis minusve supra medium dentato-serrata. Scapus axillaris, subteres, erectus, glaber, terminatus umbella florum a quatuor ad duodecim. Foliola involucri sunt pauca, ovata, brevia. Perianthium subovatum, teres nec angulatum, brevissimum. Corollæ tubus calyce multo longior, cylindricus absque ullo peculiari collo. Limbi subinfundibuliformis & ultra medietatem divisi laciniæ sunt magis minusve profunde emarginatæ. Antheræ luteæ. Capsula globosa, magnitudine calycis. Semina numerosa maturescunt sub finem Augusti. Floret Junio.

TABULA QUADRINGENT. DECIMA SEXTA.

THESIUM ALPINUM. *Linn. syst. pag.* 188. *Jacq. vindob. pag.* 213. *Scop. carn.* 1. *p.* 114.

Thesium caule diffuso, floribus alaribus, foliis linearibus. *Hall. hist. helv. num.* 1574.

Thesium floribus subsessilibus, pedunculis foliosis, foliis linearibus. *Ger. gallopr. pag.* 442. *t.* 17. *f.* 1.

Alchimilla alpina linariæ foliis, calyce florum albo in foliorum alis. *Till. pis.* 6.

Linophyllum alpinum, flore fructuque per ramulos perbreves cauli adhærentibus. *Ponted. anth.* 262.

Ex radice sordide albicante, nec crassa caules generantur plures, herbacei, procumbentes, varius erectiusculi, a tribus ad novem uncias longi, teretes, & frequentius simplices. Hos interne folia ornant sine ordine sparsa, sessilia, ex lanceolato linearia, plana, acuta, integerrima, plus minus uncialia. Superior caulium pars in racemos simplices elongatur, quorum proprii pedunculi teretes breves foliolisque tribus sessilibus terminati hos inter florem unicum sessilem (rarissime gemellos) gerunt. Ex foliolis illis lateralia opposita duo sunt tertio multo breviora. Perianthii persistentis tubus est infundibuliformi-oblongus & deorsum angustatus. Laciniæ virentes foris, intus niveæ, crassulæ, subovatæ, patentissimæ, tandem se erigentes & conniventes. Filamenta alba tubum vix superant, antheris donata subrotundis. Funiculus est brevior pedunculatus. Flores in hac specie sunt plerique terrandri, rarius quinquefidi; quorum numerum lacinix calycis sequuntur. Tota planta glabra est. Crescit pratis in graminosis subalpinis; tum etiam in aliis herbidis editis locis, nec hac varietas, quæ prima intuitu a Thesio Linophyllo dignoscas. Floret Junio & Julio.

TABULA QUADRINGENT. DECIMA SEPTIMA.

TEUCRIUM SUPINUM. *Linn. syst. p.* 388.

Polium montanum supinum minimum. *Lob. ic.* 488.

Polium montanum repens. *Bauh. pin.* 220.

Polium pannonicum septimum cum semine. *Clus. hist. pag.* 363.

Trita inter digitos tota planta aromatica gratique est odoris; sapore prædita amaro & parumper aromatico. Radix perennis, lignea, calamum & ultra crassa, fusca vel nigrescens, cauliculos in circum plures spargit, fruticosos, ramosos, perennantes. Rami teretes, annui, adscendentes, semipedales, ad lentem villosuli. Folia sunt opposita, lanceolato-linearia, acutiuscula, integerrima, subsessilia, facie viridia & glabra, dorso subrugosula & villoso-incana, ad oras leviuscule revoluta. Capitula florum densa, terminalia & erecta, sunt ex foliis minoribus numerosis confertissimis, floribusque eorundem axillaribus & brevissime pedunculatis; in fructu magis elongata & spicæformia. Calyx longe mucronatus viret cum suffusa sæpe purpura. Petali albi sissum labium superius venas monstrat ad lentem eminentes & fuscas oraque ciliatas. Antheræ ovatæ, subdidymæ, punctatæ, bivalves; post dehiscentiam badiæ, & polline pellucidi egrediente veluti globulis glandulosis adspersæ. Crescit in sylvaticis montosis; in rupibus; & alibi. Floret Julio & Augusto.

TABULA QUADRINGENT. DECIMA OCTAVA.

LINUM AUSTRIACUM. *Linn. syst. pag.* 224 *Scop. carn.* 1. *p.* 231.

Li-

Linum sylvestre caeruleum angustifolium. *Clus. hist. p.* 318.

Ex radice perenni, lignosa, calamum crassa, sordide pallente, aliquot uncias longa, & breviter multiceipite, caules annuatim prodeunt herbacei, a dimidio ad sesquipedem longi, teretes, simplices, superne tantum breviter ramosuli, modo procumbentes maximam partem, modo magis erecti. Folia sunt sparsa, subsessilia, sublanceolato-linearia, integerrima, acuta, erecta magis minusve. Pedunculi uniflori, filiformes, axillares, solitarii, in fructu penduli. Calycis foliola obovata. Petala ampla, striata, cum quadam purpura caerulei vel violacea, ungue flavo. Filamenta & styli caerulescunt. Antherae pallent. Stigmata cum virore flavescunt. Fructus congenerum. Semina fusca. Tota planta glabra est. Folia latitudine variant; ut depicta sunt ex latioribus. Crescit passim ad vias regias, in collibus herbidis incultis, & alibi. Floret Majo & Junio. Semina perficit Julio.

TABULA QUADRINGENT. DECIMA NONA.

THALICTRUM MINUS. *Linn. syst. p.* 377. *Scop. carn.* 1. *p.* 390. *Crantz. fasc. p.* 107. *Bauh. pin.* 335. (non *Fl. dan. t.* 244.)

Thalictrum foliis pinnatis, imis obtuse trilobis, supremis acutis; paniculis diffusis; floribus nutantibus. *Hall. hist. num.* 1139.

Thalictrum alpinum minus saxatile, rutae folio, staminibus luteis. *Seg. ver.* 1. *p.* 476. *t.* 11.

Ex radice perenni, horizontali, fibris deorsum tendentibus inbara pluribus, foris fusca, intus crocea, figuris paucis atque nigrati, caulis annuatim prodeunt novus, plerumque unicus, alius forte longitudinali pull alarum, ab unico ad tres circa dimidio pede altus, supra radicem apicillus & dentatae vaginantibus aliquot membranaceis instructus, superne in pedunculos ramosos diffusosque paniculatus, magis minusve flexuosus, solidus, obsolete striatus, fistulosus, hic illic purpurascens, nitidusque. Costae foliorum ad originem in patentes auriculas membranaceas producuntur. Folia sunt multiplicato-pinnata; foliolis brevissime petiolatis vel sessilibus, venosis, ad apicem bis terve incisis aut integerrimis, obtusis vel acutis, supra virentibus, subtus pallidis; caulis saepe glaucis. Floribus pendulis petala sunt quatuor, purpurascentia vel magis flava. Filamenta circiter viginti. Antherae cum virore aliquo flavent. Pistilla ut plurimum tria vel quatuor in totidem abeunt semina fulca, ovata, sulcata & acuta. Rami in paniculae divisionibus plerumque ex iisdem axillis foliorum. Crescit in saxis montosis apricis. Floret Junio & initio Julii. Semina maturescunt Augusto. Tabula exhibet plantam minorem, ut integra tibi pateret. Duas partem folii ex individua majore.

TABULA QUADRINGENTESIMA VIGESIMA.

THALICTRUM MAJUS. *Crantz. fasc. Ill.* 108

Crescit iisdem in saxosis locis cum priori Thalictro minori, nunc etiam in pratis; vere distinctum ab eodem, ad Thalictrum sibiricum accedens. Floret fere integro mense praecocius quam Thalictrum minus, adeo ut ante jam perdiderit hoc majus flores omnes, quam minus explicare primos incipiat. Radix longa, obliqua, fibrisque longis & teretibus alba, extus fusca, intus flavescens, perennat, & caulem unum alterumve quotannis producit. Hic flexuose ad duorum triumve pedum altitudinem erigitur, foliosus, paniculatus, teres, striatus, virescens cum suffusa purpura, ramis diversae longitudinis excuntibus fere

C semper

femper pluribus ex iisdem axillis. Folia inferiora componuntur ex petiolis communibus utrumque ter cum impari, his ipsis bipinnatis vel pinnatis; decrefcente numero divifionis verfus fuperiora. Foliola funt parva, ovata vel magis fubrotunda, pleraque fuperne trifida aut bifida, obtufa, breviter petiolata, vel feffilia, facie ex glauco virentia, dorfo quam maxime glauca. Petioli ad bafin membranacei, ad divifuras membranula carent. Flores funt penduli & odorati. Petala quatuor, oblonga, obtufa, concava, e viridi purpurafcentia cum ftriis elevatis. Filamenta pallida, a quindecim ad viginti. Antherae flavae & oblongae. Piftilla a quatuor ad feptem numerantur in totidem femina lanceolata, fulcata, acuta & fulca. Duo momenta obfervo conftantiffima, quibus a Thalictro minori diftinguo. Fere femper ex eodem caule & ramorum principum nodo bini vel terni egrediuntur rami; qui in minore fere femper folitarii funt. Ut foliorum prona facies in majori magis faturate vel iti ex una viret, poftica autem intenfe & ex albo glaucefcit; dum illa in minore viret laetius, haec vero pallet quidem, vix tamen, ut glauca dici mereatur. Quibus addi poffet longe major majori carnofitas; quam maxime autem tempus florendi conftantiffime diverfum, etiam quando juxta invicem coluntur in horto. Majus enim calorem perpetuo, ferius ad unum tertiam partem, altitudine fuperat minus, in ficcis quandoque a minore attingitur. Caeterum ftriae, radicula, fulci in caulis, craffities nodulorum, & alia variant ita in utroque, ut nihil certi determinent.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA PRIMA.

THALICTRUM NIGRICANS *Scop. carn. 1. pag. 391.*

Thalictrum flavum. *Crantz. fafc. pag.* 106.

Thalictrum foliis erectis, lobulis acute trilobis, fpica adfcendente. *Hall. hift. helv. num.* 1158. *β.*

Aeque dubius, quam clariffimus Scopoli, propono hanc plantam ceu diftinctam a Thalictro flavo fpeciem. Ab anguftifolio differt certe, quod haec floreat nigricante praecocius; folia habeat omnino omnia, etiam radicalia & caulina infima, aeque anguftiffima, circumfcriptione etiam ampliora, foliolisque multo numerofioribus; cum flores pallidiores. Nigricans ex radice ex fufco flavefcente, perenni, longeque fibris donata, emittit caules promit tres quatuorve pedes altos, erectos, ftriatos, fiftulofos. Petiolorum bafes dilatantur in membranas. Foliola funt lanceolata, acuta, facie faturate virentia, fubtus pallidiora venisque emicantibus exfculpta, utrinque glabra nec afpera; alia integerrima, alia ter vel bis incifa, idque imprimis in foliis inferioribus, ubi etiam latiora funt quam in fuperioribus. Panicula denfa, terminalis, erecta. Flores luteoli, odori, non cernui. Petala quatuor, parva, minus colorata. Stamina a fedecim ad triginta. Piftilla a duobus ad quinque ut plurimum. Semina totidem, fufca, fubovata. Crefcit in pratenfibus fylvarum udis.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA SECUNDA.

GALIUM SCABRUM

Ad nullam Linnaeanam fpeciem referre potui. Radix perennis, teres, ramofa, & cum rubedine aliqua fufcefcens, plurimos tenuiffimos ad telluris fuperficiem cauliculos fpargit perennantes, ex quibus annuatim plures caules herbacei prodeunt, erecti, ipfis hifce cauliculis multoties craffiores; fubteretes, ita ut ad lentem aliqua fui parte fint magis plani, alium obfoletiffime angulati; inferne brevibus albidisque villis denfe tecti & afperi; fuperne

ne glabri nitidique, & per ramos paniculati. Folia septena vel octona, in ramis pauciora, linearia, utrinque sulcata, mucronata, patentissima, eadem villis obsita & aspera, superiora autem minus. Pedunculi plus minusve ramosi. Flores valde odorati. Corolla alba, patentissima, quadrifida, rarius trifida, laciniis lanceolatis & acutis. Antheræ flavæ. Fructus parvi & glabri. Crescit in silvaticis. Flores Junio.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA TERTIA.

ALLIUM ANGULOSUM. *Linn. syst. p. 239.*

Allium senescens. *Jacq. obs. bot. 2. p. 57.*

Allium radice senescente ligulis transversis; foliis radicalibus gramineis; floribus umbellatis. *Hall. hist. helv. num. 1227.*

Allium sive Moly tertium foliis primum & alterum. *Clus. hist. p. 195.*

Ob incertitudinem reliqua synonyma omitto, quæ universa apud Hallerum loco citato videri possunt, ubi etiam Allium Linnæi senescens cum hoc angulosa seu variens conjungunt, dum tamen Gmelini adducta a Linnæo figura Allii senescentis foliis multum differat, ut verum quam maxime hæc planta variis in regionibus debeat. Apud nos haud ita ludere sueviт. Tota glabra est odorisque alliacei. Bulbus ex ovato oblongus & altius ætate versus basin lignosam indolem acquirit, diversamque induit formam, cui tunc plures bulbi junctim innascuntur. Folia radicalia sunt linearia, plura, angusta, erecta, pedalia vel breviora, obtusa, ad dorsum protuberans argute angulata, facie canaliculata vel plana. Scapus striatus & anceps vel quandoque magis tetragonus erigitur foliis altior. Spatha membranacea, albida, bivalvis, nec caudata, pedunculis duplo brevior est. Hi frondi umbellam formant hemisphæricam densamque. Flores suave olent. Petala ovata, acuta, patentissima, & mole æqualia omnia, modo alterna tria sunt angustiora, pallide purpurascentia. Filamenta corollam æquant, subulata omnia. Antheræ virent, dein nigrescunt. Germen in thalamo albet.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA QUARTA.

ACONITUM CAMMARUM. *Linn. syst. edit. 13. pag. 419.*

Aconitum caule ramoso, paniculato; petalis mutelliformibus; calcaribus unguiculatis longiori. *Hall. hist. helv. num. 1198.*

Aconitum Lycoctonum novum Judenburgense. *Clus. hist. p. XCVII.*

Aconitum cæruleo purpureo flore maximo, sive Napellus quartus. *Bauh. pin. 183.*

Ab Aconito Napello diversissima planta, ut a perito vel eminus distinguatur, in quibusdam subalpinis pratis ad sylvarum margines non minus frequenter occurrit, quam Napellus in aliis. Habitus cum Napello idem; eadem structura floris; pistilla & capsulæ simili numero varietate ludunt; nec alias diversa radix, nisi quod ex caulis geniculo inferiore bulbillum quandoque enatum viderim, uti icon habet Clusiana. Differentias itaque sola adferam. Folia in superiore pagina nec nitent, nec atrovirent, in lacinias divisa latiores. Racemus caulem terminans brevior est, semper magis minusve foliosus, & rarior. Pedunculi longiores magisque patuli. Flores minus profunde cærulei, (qui in Napello fere sunt atroviolacei,) hic dilutius cyanei, pallide cærulei, quin imo interdum pene excolores. Petalum galeatum multo longius, villis plane destitutum, inque rostrum acutum notabilius protrahitur. Floret Augusto.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA QUINTA.

ASTER AMELLVS. *Linn. syst. p. 554. Scop. carn. 2. p. 170.*
Aster caule folioso; foliis scabris, ciliatis, lanceolatis, obtusis; calycis squamis ovatis, ciliatis. *Hall. hist. helv. mon. 83.*
Aster octavus, Italorum & Fuchsii. *Clus. hist. p. XV.*
Aster atticus. *Dod. pempt. 2. l. 3. c. 24.*
Aster atticus sive inguinalis. *Blakw. t. 109.*
Aster atticus cæruleus vulgaris. *Bauh. pin. 267.*

Ad margines sylvarum, ad vineas, aliisque in locis crescit; florens Augusto & Septembri. Radix perennis, fusca, multiceps, fibrisque numerosis rubara, caules gignit animalia plures, erectos vel basi adscendentes, a dimidia pede ad duos pedes altos, scabros villosos, teretes, substriatos, plerumque supra medium, modo etiam totos ramosos. Folia ponuntur alternatim, lanceolato-oblonga, scabra, ad oras villosula, integra, obtusiuscula, caulina infima & radicalia petiolata, reliqua sessilia. Calycis virentis squamæ sunt oblongæ, obtusæ, ad oras villosulæ; interiores erectæ & ad apicem purpureæ. Corollulæ radii cum levi purpura cærulescunt. Discus est luteus. Seminum pappus est pilosus & sessilis.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA SEXTA.

DAPHNE CNEORUM. *Linn. syst. p. 272.*
Thymelæa Cneorum. *Scop. carn. 1. p. 276.*
Thymelæa foliis glabris, linearibus, aristatis; floribus sessilibus umbellatis. *Hall. hist. helv. mon. 1027.*
Thymelæa minor, vel Daphnoides alpinum. *Gesn. fasc. mon. 6. pag. 5. tab. 3.*
Thymelæa alpina linifolia humilior, flore purpureo odoratissimo. *Tourn. inst. p. 594. Duham. arbr. 2. p. 326. tab. 94.*
Thymelææ affinis facie externa. *Bauh. pin. 403.*
Cneorum Matthioli. *Clus. hist. pag. 89.*

Fruticulus acris totus, glaber, dumque floret, speciosus, ex radice longa, lenta, terete, calamum, digitumve crassa, simplice vel ramosa, intus albicante, & foris aut flavescente, aut magis fusca, caules generat plures lignosos, perennantes, breves, fuscos, lentos, debiles, adscendentes, graciles, & ipsos interdum radices agentes. Rami juniores virent, foliosi, & in summitate umbellam florum sessilium confertam gerentes. Folia sunt ex oblongo lanceolata, sparsa, integerrima, firmula, virentia, & brevissimo vixque conspicuo mucrone prædita. Plures sunt rubri & suaveolentes. Tubus externe est villosus, & cylindricus totus cum limbo patentissimo, ut sit corolla hypocrateriformis. Laciniæ sunt obtusæ vel acutæ. Filamenta altiora subjiciuntur ipsi fauci. Antheræ sunt luteæ. Germen hirsutum transit in baccam albidam & monospermam. Crescit in montosis, florens Aprili & Maio.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA SEPTIMA.

CHONDRILLA JUNCEA. *Linn. syst. edit. 13. pag. 594. Hall. hist. helv. mon. 17.*
Chondrilla juncea, viminea, arvensis. *Tabern. ic. 178.*
Chondrilla juncea viscosa arvensis. *Bauh. pin. 130.*

Chondrilla.

Chondrilla viminalibus virgis. *Cluf. hift. pag. CXLIII.*
Chondrilla viminea. *Bauh. hift. 2. p. 1021.*

Radix perennis, eliamum & ultra craffa, albida vel nigra, longa, fibrisque emiffis prædita, caulem promit unicum vel plures, erectos, teretes, herbaceos, glaucos, bi- vel tripedales, in ramos numerofos virgatosque folutos, medulla nivea farctos; lacte, uti tota planta, vifcido fcatentes; in infima fui parte pilis rigidis, nec tamen pungentibus, denfiffime hirtos; cæterum glaberrimos. Folia radicalia plura, in orbem fparfa, longe petiolata, tenera, fuperne latefcentia, runcinata, acuta; caulina fubfequa fimilia; fenfim altiora magis integra; tandem integerrima, acuminata, longe lanceolata, fumma linearia & feffilia. Radicalia autem illa, & caulina inferiora, in adulto caule, marcefcere & perire folent, ut tunc caulis inferne fæpe longe aphyllus fit. In foliorum infimorum nervo dorfali quandoque etiam pili rigentes adfunt. Pedunculi flores fuftinent breviffimi; vel nulli. Calyx cylindricus, ftriatus, viridis, fit ex foliolis acutis, fublinearibus, pluribus, uno ordine pofitis; auctus ad bafin foliolis paucis breviffimis; poft corollæ lapfum ventre turgidulus; in fructu maturo patentiffimus. Corollulæ plures, ligulatæ, ftriatæ, quinquedentatæ, flavæ. Antheræ luteolæ. Stigmata flavent. Semina linearia, ftriata, & afpera, inftruuntur calyculo proprio pentaphyllo, tum pappo ftipitato & pilofo. Floret a Julio ad Septembrim. Semina maturefcunt Augufto & menfibus fubfequis. Crefcit in collibus apricis, in arvis, ad vias.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA OCTAVA.

DICTAMNUS ALBUS. *Linn. fyft. pag. 292. Scop. carn. 1. p. 284. Bauh. pin. 222. Blackw. tab. 35. Mill. ic. 123.*
Fraxinella. *Hall. hift. helv. num. 1029. Cluf. hift. p. 100.*

Speciofa planta in montofis fruticofis crefcit, florens Majo, femina perficiens Augufto, & tota quanta odore prædita aromatico, forti, gravi, nec ingrato. Radix perennis, lignofa, torulofa, pollicem & ultra craffa, cortice veftitur craffo, fæpe fiffo, albicante, & ipfo fubligno, vix odorato, illi qui fapore pollet aromatico, acri, parumper amaricante, & ingrato. Caulis unus alterve, erectus, teres, annuus, bipedalis, fimplex, racemo florigero terminatur. Folia funt pinnata, alterna, petiolata, ex foliolis utrinque circiter quinis, ovatis, fubfeffilibus, leviffime ferratis, obtufis, firmulis, in vegeta ætate vifcidis; cum terminante impari; quandoque abrupte pinnata; cofta antice fulcata. Caulis fuperior & foliolorum pagina adverfa ad microfcopium villofa funt. Perianthii pentaphylli & decidui foliola funt vifcida, hirfuta, ex rubro virentia, parva, lanceolata, & acuta. Petala quinque, rubella, lanceolata, utrinque acuta, plana, magna, patentiffima, duo furfum flexa, duo lateraliter, & infimum deorfum propendens. Filamenta decem, declinata, inæqualia, rubella, inferne hirfuta, fuperne glandulis feffilibus fubrotundis aut pyriformibus rubrisque cum vertice fufco adfperfa. Antheræ virefcunt. Germen ovatum, hirfutum, breviter & craffe pedicellatum, pentagonum, atrovirens. Stylus filiformis, glaber, fitu flaminum. Stigma fimplex. Capfulæ quinque, afperæ, pallide fufcæ, oblongæ cum apice truncato & utrinque breviffime acuminato, compreffæ, uniloculares, interiorum & apice dehifcentes. In qualibet capfula arillus eft bivalvis, elaftice diffiliens. Semen unum alterumve, atrum, nitidum. In tabula feorfim exhibentur fructus integer dehifcens, uterque arillus, femen; & auctum ftamen.

TABULA QUADRINGENT. VIGESIMA NONA.

HIERACIUM CHONDRILLOIDES. *Linn. fyft. pag. 123. Jacq. vind. p. 273. t. 7.*

Hieracium alpinum pumilum, chondrillæ folio. *Bauh. pin.* 64.

Ex radice nigra, calamum crassa, incurvata, præmorsa, perenni, fibrisque longis crassisque aucta, caulis recta attollitur semipedalis, vel paulo longior, plerumque unicus, superne in paucos pedunculos ramosus. Folia radicalia plura, longe petiolata, anguste lanceolata, acuta vel obtusiora, integerrima, vel dentibus eo incisa magis, quo sunt cauli propiora & caulina dicenda magis. Caulina sunt alterna, longa; varie & profundissime pinnatifida, ut vix duo specimina simillima reperire liceat; extremitate longe lanceolato-lineari & acuminata; laciniis linearibus acutis & distantibus; inferiora petiolata; summa sæpe sessilia. Ligulæ ad pedunculos angustæ & integerrimæ. Calycis atrovirentis foliola brevissime hispidula sunt. Corollæ, antheræ, & styli flavent. Pappus sessilis, pilosus, & ad lentem denticulatus est. Caulis, pedunculi, & folia pauca superiora, microscopio spectata, villos monstrant. Folia reliqua glaberrima sunt. Crescit in saxosis alpinis; florens sub sinem Julii & Augusto.

TABULA QUADRINGENTESIMA TRIGESIMA.

MENTHA AUSTRIACA.

Hæc nova, uti arbitror, Menthæ species crescit in insulis Danubialibus & aliis in locis udis, Menthæ arvensi maxime similis, ut pro eadem primo intuitu haberi posset, constanter diversissima statura minore, odore, brevitate staminum, maiore hirsutie, aliisque momentis. Ex radice repente & perenni caules gignit annuos, semipedales & ultra, tetragonos, erectos, fere simplices. Ei hi, & folia utrinque, & calyces, brevissimo villo obducuntur. Folia sunt breviter petiolata, infima ovata, reliqua lanceolata, acuta, serrulata, nervo medio subtus piloso. Florum parvorum verticilli densi. Calycis denticuli æquales. Corollæ pallide violaceæ labium superius emarginatum vel semibifidum, & duplo latius laciniis tribus labii inferioris. Faux pilis albis clauditur. Filamenta brevissima simul cum antheris abscondita in inferiore parte tubi corollæ, ut plane non appareant. Floret Julio & Augusto.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA PRIMA.

HIPPOCREPIS COMOSA. *Linn. syst. pag.* 492. *Scop. carn.* 2. *p.* 74. *Crantz fasc.* 429.

Ferrum equinum siliquis umbellatis, undulatis. *Hall. hist. helv. num.* 391.

Ferrum equinum comosum. *Riv. irr. tetr. tab.* 93.

Ferrum equinum comosum seu capitatum. *Bil. cephr.* 1. *p.* 302. *t.* 301.

Ferrum equinum germanicum, siliquis in summitate. *Bauh. pin.* 346.

Planta tota glabra est. Radix lignosa, ramosa & perennis, annuatim plures in ambitum cauliculos spargit herbaceos, ramosulos, procumbentes, striatos, & semipedales. Stipulæ ad folia ovatæ, acuminatæ, concavæ & patentissimæ. Folia petiolata, pinnata; foliolis oblongis, obtusis cum exiguo mucrone, integerrimis, brevissime petiolatis. Pedunculi teretes, striati, elongati, in summitate adscendentes, apice flores gerunt in coronulam umbellatos. Calyx viridis, ad duas tertias profunde divisus, atra purpura striatus; denticulis acuminatis. Corolla flava. Alæ obverse ovatæ, obtusissimæ. Carina in acuminatum rostrum desinit. Legumen angustum, acutum, glabrum, huc illuc undulatum, ad semina torosum, inter illa planum. Semina oblonga, incurva. Reliqua sunt ad chara-

cterem

ctetem Linnæi. Crescit in pratis alpinis. Floret Majo & Junio. Semina maturescunt Julio & Augusto.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA SECUNDA.

DRABA HIRTA. *Linn. syst. pag.* 432. *an flor. dan. t.* 142.?
Draba stellata. *Jacq. vindob. pag.* 256. *tab.* 4. *f.* 3.
Draba austriaca. *Crantz fasc. pag.* 12. *t.* 1. *f.* 4.
Draba caulibus subnudis; foliis tomentosis, ovatis. *Hall. hist. helv. num.* 497.
Draba foliis lanceolatis, integris; caulibus subfoliosis; siliculis oblongis. *Ger. prov. pag.* 345.
Bursa pastoris alpina hirsuta. *Bauh. pin.* 108. *prodr.* 51.
Bursa pastoris alpina minor hirsuta, foliis infimis integris, ad genicula vero crenatis, loculo oblongo. *Morit. hist.* 2. *p.* 306. *s.* 3. *t.* 20. *f.* 8.
Bursa pastoris minima ex monte Splügel. *Bauh. hist.* 2. *p.* 958.

Floræ Danicæ icon minus repræsentat nostratem plantam, caulibus imprimis in sua nudis, foliisque omnino omnibus integerrimis, quæ in nostratem ægre quadrant, ut denuo proponendam hanc censeam, quo certius statui aliquid ab utriusque autoptis possit. Radix fuscescens, tenuis, valde longa, perennis, & multiceps, saxorum fissuris innascitur in summis alpium jugis, densosque non raro caulium cespites generat. Hi a foliis præteritis emarcidis vestiti, terminantur in rosulas foliorum densas, e quarum centro cauliculi exeunt. Folia sunt lanceolata, basi attenuata, ciliata & adspersa utrinque pilis albidis & apice stellatis, facie tamen glabriora, obtusiuscula vel acuta, crassula, subincana, integerrima (idque rarissime omnia) vel utrinque uni- vel bidentata. Cauli, nunquam a me viso plane aphyllo, simile folium unicum insidet, raro bina, ut plurimum denticulo aliquo notatum, sessile, quandoque tam demissum, ut inter rosulæ folia absconditur. Caulis ab una ad quatuor uncias altus exit in racemum floribus a duobus ad decem onustum. Calyx cum virore flavet, obtusissimus concavus & erectus. Petala sunt nivea, integra, plana, obverso ovata, cum unguibus erectis, brevibusque, ampla, superne patentissima & calyce duplo longiora. Filamenta albent, calycem parum superantia. Stylus brevis persistit. Silicula est ovalis, compressa, glabra, recta, aut parum incurva, semina plura continens flavescentia. Vidi etiam specimen majus ex alis ramosum, quatuor hinc folia in caule gerens, eaque integerrima. Floret Majo & Junio. Semina perficit Julio. In tabula exhibetur planta major cum fructu maturo, & minor florens.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA TERTIA.

TRIFOLIVM ALPESTRE. *Linn. syst. pag.* 502. *Jacq. obs. part.* 2. *pag.* 14. *tab.* 64. *Crantz fasc. pag.* 407.
Trifolium foliis ovatis, nervosis; supremis conjugatis, vaginis lanceolatis. *Hall. hist. helv. num.* 376.
Trifolium majus secundum. *Clus. hist. CCXLV.*
Trifolium spica longiore, flore purpureo. *Riv. irr. tetr. tab.* 12.
Trifolium montanum purpureum majus. *Bauh. pin.* 328.
Trifolium majus Clusii secundum, non album, sed rubrum. *Bauh. hist.* 2. *p.* 375.

Ex radice perenni, tenui, ramosa, longa & infra tellurem repente, plures enascuntur caules, semper erecti, dimidium vel & totum & ultra pedem alti, teretes; plerumque

que simplicissimi sine ramo ullo, qui si ex alis foliorum inferiorum adest aliquis, vix florem producit; villis oculo nudo ægre conspicuis vestiti, & hinc ad tactum parumper rudes, firmuli, nec flexuosi. Stipulæ anguste lanceolatæ, acutæ, villosæ & ciliatæ, erectæ, virides, infra petiolum striatæ cum striis quandoque rubentibus. Petioli villosi. Foliola longe lanceolata, subsessilia, acuta vel obtusiuscula, ad oras tenuissime serrulata, facie glabra, dorso manifestius villosa. Summi folii stipula latior est; cui capitulum incumbit terminale, sessile, subrotundum, ex flosculis inodoris & ex rubro saturate purpureis dense compactum. Atque hoc modo solitarium est, modo, idque multo frequentius, duplex, quorum tunc alterum ad totam fere florescentiam præcocius altero est, quod a primario deprimitur, brevissimoque pedunculo proprio insistit, in proprio etiam folio, sæpe imperfecto, sessile. Perianthii albidi & omnino villosissimi dens infimus longissimus & setaceus est, quatuor reliqui brevissimi. Corollæ monopetalæ carina coloratior est alis vexilloque paulo brevior. Legumen fere compressum ad monospermum in calyce occultatur. Crescit passim ad margines sylvarum, in fruticosis, pratis montanis, & aliis. Floret Junio.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA QUARTA.

SIDERITIS MONTANA. *Linn. syst. pag.* 391. *Crantz fasc. pag.* 248.

Sideritis montana, parvo flore nigropurpureo, capite medio croceo. *Col. ephr.* 1. *p.* 198. *t.* 196.

Sideritis montana, parvo varioque flore. *Bauh. pin.* 233.

Annua planta in agris, arvis, glareosis & asperis locis, haud infrequens, ex radice pallida & terete caulem profert supra ipsam mox terram plus minusve depressum, hinc erectum, semipedalem, etiam sesquipedalem, sæpe ramosum, obtuse tetragonum, totum foliosum, & una cum foliis calycibusque hirsutum. Folia sunt opposita, lanceolata, basi inferiora longe angustata in petiolum, acuta, supra medium rariter serrata, summa integerrima, nervosa. Flores verticillati, sessiles; occupantes totum fere caulem, ramosque, tandem admodum elongatos; terni in qualibet axilla folii. Perianthii rigiduli & virentis tubus est turbinatus. Limbi bilabiati, nervosi, & pauli, laciniæ quinque, lanceolatæ, valde mucronatæ, ferme æquales, ut duæ inferiores sint dumtaxat paulo angustiores. Corolla calyce minor tubum habet longitudine tubi calycis, flavescentem. Faux paulo amplior, externe villosa. Limbi lacinia superior ferruginea, brevis, lata, obtusissima, erecta, integerrima, vel leviter emarginata cum denticulo medio. Labii inferioris, in disco flavi, & antrorsum porrecti, laciniæ subrotundæ, etiam ferrugineæ; intermedia latiore. Antheræ fuscæ. Floret totam æstatem. Additur petalum auctum.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA QUINTA.

EUPHORBIA CYPARISSIAS. *Linn. syst. pag.* 334.

Tithymalus Cyparissias. *Scop. carn.* 1. *p.* 339. *Cam. epit.* 964. *Bauh. pin.* 291.

Tithymalus foliis linearibus, stipulis numerosis, floralibus cordiformibus, petalis lunatis. *Hall. hist. helv. num.* 1047.

Radix perennis, calamum, vel digitum minimum crassa, foris fusca, inæqualis, longisque fibris horizontalibus aucta, plures annuatim caules emittit herbaceos, erectos, dimidium vel integrum pedem altos, teretes, totos foliosos, in fructescentia autem foliis deciduis nudatos, pallide virentes, inferne simplicissimos, superne ramis sterilibus patulisque ornatos. Folia sunt sparsa, subsessilia, linearia, obtusiuscula, integerrima, glauca, numerosa,

rosa, plerumque adscendentia, plana cum nervo medio subtus protuberante. Folia ramorum sunt duplo angustiora, sæpe lutescentia. Umbella terminalis, erecta, ex radiis a decem ad viginti. Atque hi sunt bis bifidi, ita ut plerumque singuli sustineant septem flores, per geminatam scilicet dichotomiam, quæ in ipsa sua divisione flosculum simul gerit solitarium. Tota umbella flavet. Flores sunt odorati. Involucri ad umbellam universalem foliola sunt plura, caulinis æmula. Involucella vero cordata, integra, acutiuscula, in planta fructescente magis minusve in rubedinem tendentia. Flos medius in divisione radii principe infima est hermaphroditus, sed nescio ob quem defectum sterilis & abortans. Reliqui sunt feminei & fertiles; ut adsit hic polygamia necessaria. Femineus est calyx campanulatus, intus hirsutulus, & quadridentatus; denticulis erectis, ad germen adpressis, ad apicem bifidis; illo, qui inter petala distantia stat, plane fisso. Petala quatuor, acute lunata, patentissima. Stamina nulla. Germen ovatum, erectum, extra calycem elevatum proprio pedicello. Styli bifidi, obtusi. Hermaphroditus est calyx quinquedentatus; corolla pentapetala; stamina circiter octo, articulata, erecta; antheræ geminæ; germen ad latus extra calycem pendulum. Capsula triquetra, muricato-rugosa. Semina glabra, albida. Tota planta glabra est, & lacte abundat acri, vesicas in cute excitante. Crescit passim & copiose in pratis, collibus herbidis, & alibi. Floret a medio Aprili ad finem Maji. Semina perficit Junio. Julio mense involucra utraque decidunt, dein etiam radii totaque umbella; atque pergunt tunc adhucdum diu laete vegetare rami steriles. Obnoxia sunt folia hujus plantæ fungulis, qui partem eorum posticam obsident densissime, pulverem mutrientibus luteum. Tunc totus caulis aliam formam induit, rosula terminatus foliosa, & rarissime flores producit; cujusmodi ad latus tabulæ caulis additur. Vocata sic planta ab auctoribus fuit *Esula degener*. Conspectus ille pulvis ad lentem exhibet fungulos concavos, orbiculares, intus luteos cum ora albo. Talis aucti folii portio etiam exhibetur in tabula. Tandem auctus flos hermaphroditus & femineus.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA SEXTA.

EUPHORBIA GERARDIANA.

Tithymalus umbella multifida, bifida: involucellis triangulari-cordatis; foliis superioribus latioribus. *Ger. prov. pag.* 540.

Tithymalus amygdaloides, angustifolius. *Tabern. ic.* 591.

Tithymalo maritimo affinis, linariæ folio. *Bauh. pin.* 201.

Copiose & passim reperitur in arenosis siccioribus pratis, ad ripas Danubii. Tota glabra est, & lacte turget candido & acri. Radix calamum & ultra crassa, fusiformis, semipedalis, fibris crassioribus aucta, foris nigra, intus albida, tenax, & perennis, annuatim plures caules promit herbaceos, fere erectos, teretes, plus minus pedales, modo simplicissimos, modo ex alis plures vel pauciores pedunculos radiis similes emittentes, inferne purpureos & in adulta ætate cicatriculis a foliis deciduis tuberculatos, plerosque floriferos. Folia per totum caulem dense sparguntur sessilia, sublinearia, acuta, plana, integerrima, glaucescentia. Umbella multifida ex radiis decem vel pluribus connexa. Involucri polyphylli foliola foliis caulinis similia, sed paulo breviora & latiora. Involucella sunt subrotunda, acuta vel obtusa, sessilia, plana, cum suffusa flavedine virentia. Radii bis vel ter bifidi cum dichotomiis modo flore oneratis, modo destitutis. Flores omnes sunt sessiles, hermaphroditi, fertiles, & inodori. Calyx glaber. Petala quatuor, ex flavo subrufescentia, subrotunda, integerrima. Antheræ flavæ. Capsula glabra. Semina pallida. Floret Junio & Julio. Ad marginem tabulæ sistitur flos auctus.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA SEPTIMA.

PHYTEUMA ORBICULARE. *Linn. syst. pag.* 163.

Rapunculus orbicularis. *Scop. carn.* 1. *pag.* 150.

Rapunculus comosus. *Scop. carn.* 1. *pag.* 151.

Rapunculus foliis imis longe cordatis, caulinis sessilibus, acutis, bracteis ovato-lanceolatis. *Hall. hist. helv. num.* 681.

Rapunculus corniculatus. *Riv. mon. irr. tab.* 109.

Rapunculus cæruleus italicus major. *Barr. rar. ic.* 526. & minor *ic.* 525.

Rapunculus sylvestris umbellatus. *Thal. herc. pag.* 94. *tab.* 8. *f.* 1. & 2.

Rapunculus umbellatus latifolius; & angustifolius. *Bauh. pin.* 92.

Rapunculus folio oblongo, spica orbiculari. *Bauh. pin.* 92. *Moris. hist.* 2. *p.* 463. *t.* 5. *t.* 5. *f.* 47.

Rapuntium montanum, rarius corniculatum. *Col. ecphr.* 1. *p.* 223. *t.* 224.

Ex radice perenni, sordide albente, subsusiformi vel magis in toto decursu cylindrica, sæpe longa, caulis annuatim plerumque solitarius excrescit, erectus, simplicissimus, foliosus, teres, substriatus, & spica florum unica terminatus. Crescit in Austria copiose; at illa planta, quæ ad ipsos primos a planitie pedes montium, locis plerumque siccioribus & saxosis frequens reperitur, ita differt habitu ab alpina planta, ut dubius hæserim diu, pro diversisne, an pro eadem specie proponerem? Cultura eandem demonstravit. Barrelierus in figuris citatis utramque delineavit, in 526 alpinam, in 525 alteram collinam. In alpina sunt omnia succulentiora crassioraque, folia angustiora magisque inflexa, caulis striatior, foliola involucri majora & sæpe capitulum excedentia. Utramque etiam ego exhibeo; florentem collinam; fructescentem alpinam; sed in hac, quod rarissime accidit, capitulum fructigerum in spicam oblongam productum est, cum alias soleat esse aut subrotundum aut ovatum. Malui tamen sic exhibere; triplo enim vel duplo breviorem cum eadem non diminuta latitudine quilibet [illegible] finget. Folia radicalia prima, & semper hæc pauca, sunt longissime & graciliter petiolata, minora reliquis, & cordata; cæterum vero aut acuta, aut obtusa, quin imo nonnunquam cordato-subrotunda. Caulina infima etiam petiolata, sed minus in alpinis. Inferiora lanceolata vel oblonga. Reliqua angustiora & acuta. Omnia glabra, & obtuse magis minusve serrata. Flores colliguntur in capitulum terminale, semper subrotundum, suffultum bracteis aliquot lanceolato-acuminatis, ad basin concavis & parum per oras ciliaris, sessilibusque. Perianthium insidet germini, pentaphyllum, persistens; foliolis concavis, longe lanceolato-acuminatis, erecto-patulis, longitudine germinis. Corolla monopetala & cærulea dividitur ferme ad basin usque in quinque lacinias lineares, acutas, longissimas, recurvate patentissimas, ad lentem intus pilis albidis hirsutissimas. Filamenta quinque capillaria & brevia sustinent antheras ochroleucas, lineares, erectas, extrorsum pendulas. Germen inferum, angulatum, viride, glabrum. Stylus crassus, versus verticem capituli incurvatus, longitudine corollæ, cæruleus cum apice saturatiore. Stigma trifidum. Capsula pentagona, trilocularis, polysperma, lateribus perforanda. Semina nitida, parva, fusca, subovata. Floret Junio. Semina fert Augusto. Folia radicalia cordata raro in planta florente adsunt, sed solent frequentius post peractam fructificationem autumno prodire.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA OCTAVA.

SAXIFRAGA AIZOON.

Saxifraga foliis radicalibus in orbem positis, serraturis cartilaginosis. *Linn. fl. lapp. p.* 140. *t.* 2. *f.* 2?

Sa-

Saxifraga foliorum ora cartilaginea, serrata; petiolis paucifloris; petalis punctatis. *Hall. hist. helv. num.* 978.
Saxifraga sedi folio angustiore serrato. *Tourn. inst.* 252. *Seg. ver.* 1. *p.* 448. *t.* 9. *f.* 1.
Aizoon serratum. *Cord. hist. pag.* 92.
Cotyledon minor, foliis subrotundis serratis. *Bauh. pin.* 285. *prodr.* 133.
Cotyledon media, foliis oblongis serratis. *Bauh. pin.* 285.
Sedum serratum. *Bauh. hist. p.* 3. *p.* 689.

Radix multiceps & perennis rosulas foliorum plures densasque format. Sunt illa conciformia sive lingulata, firma, crassa, glabra, obtusa, ad basces angustatæ oras tamen lanuginosa, virentia cum limbo albo serrulato [illegible] cartilagineo. Ex rosularum centro caulis oritur erectus, [illegible] minus spithamæus, virens aut rubellus, teres, hirsutus pilis mollibus & apice ad lentem fusco-capitatis, foliis paucis sparsis erectisque in adscensu vestitus, radicalium forma, cæterum se lilibus, paulatim angustioribus minoribusque, summis acutis. Ex horum superiorum omnium alis pedunculus exit etiam hirsutus, unam alteramve unciam longus, ad extremitatem plerumque triflorus; pedicellis propriis brevibus. Flos ipsum caulem terminat solitarius, reliquis paulo major & præcocior. Inveni in alpibus pumilum specimen, in quo unicus sine omni caule flos sessilis centrum rosulæ foliosæ occupabat. Flores sunt odorati. Calyx glaber nitidus & germini inferne accretus viret, petalis duplo brevior. Hæc sunt oblonga, obtusissima, patentissima, albida, dorso tribus lineis ex flavo virentibus obsolete notata, modo punctis rubris adspersa, modo immaculata. Filamenta albens. Antheræ flavent. Corona germinis est margo orbicularis concavus & luteolus. Fructus congenerum. Crescit passim & copiose in montibus & alpibus. Floret Junio & Julio. Est omnino distincta planta a Saxifraga Cotyledone, in Floræ Danicæ tabula 241 depicta, quam utramque Linnæus haud bene conjunxit. Neque cultarum in horto per annos altera in alteram transivit, sed Cotyledon semper valde paniculata evasit, Aizoon pauciflora permansit. Depingitur specimen ex majoribus, tum aliud ex pumilis.

TABULA QUADRINGENT. TRIGESIMA NONA.

SCABIOSA OCHROLEUCA. *Linn. syst. p.* 114. *Jacq. obs. part.* 2. *pag.* 20. *tab.* 73. & 74.
Scabiosa septima. *Clus.* [illegible]. *III.*
Scabiosa multifido folio, flore flavescente. *Bauh. pin.* 270. *Moris. hist.* 3. *p.* 48. *t.* 9. *t.* 13. *f.* 23.
Scabiosa sulphurea, incisis foliis. *Barr. ic.* 770.

A Scabiosa columbaria, quacum hanc eandem suspicatur Hallerus, & quæ etiam apud nos copiose crescit, diversissima est planta; cæterum valde variabilis statura, foliis & glabritie. Radix perennis ex fusco albicat, tandem digitum crassa lignosaque. Caulis aut unicus, aut plures, teres, ab uno ad tres pedes altus, suberectus, modo nitidus glaberque ex integro, modo contra totus vel dumtaxat inferne villosus, pallide virens & ad foliorum exortum sæpe purpurascens, idque saturatissime in individuis glabris. Caulium divisio primaria est dichotoma; reliqua per pedunculos elongatos perficitur. Folia radicalia sunt in plantis primi anni, æque ac caulina infima, spathulato-lanceolata, integra, inæqualiter serrata, quandoque uno alterove dente profundius incisa, in petiolum longius attenuata. Hæc in annosioribus magis magisque inciduntur, ut pinnatifida, subpinnata, etiam subbipinnatifida evadant. Caulina summa sunt simplicissima, proxima pinnata, infima sæpe bipinnatifida: pinnulis linearibus acutisque. Folia glabritie vel villositate caulem imitantur; quarum insignes varietates in Observationum tabulis citatis exhibui, ubi specimen majus sistitur, dum

hic depingitur minus. Florum constans color est ochroleucus. Flosculi sunt inæquales, radiati & quinquefidi. Involucri foliola plura, linearia, acuta, & corollis breviora. Perianthium proprium interius quinque setas habet. Semen ovatum, obtusulcatum, basi villosum, margine membranaceo coronatum. Capitulum fructiferum est ovatum. Crescit in collibus gramineis siccis, in montanis saxosis apricis, & alibi. Floret a Julio ad Octobrim.

TABULA QUADRINGENTESIMA QUADRAGESIMA.

SERRATULA PYGMÆA.
Carduus pigmæus. *Jacq. vindob. pag.* 282. *tab.* 8.
Carduus mollior humilis angustifolius. *Clus. hist. CLI.*
Carduus mollis, folio oblongo, cirsii capitulo. *Bauh. pin.* 377.
Cnicus pygmæus. *Linn. syst. pag.* 531.
Cirsium pigmæum. *Scop. carn.* 2. *pag.* 123.

Post tot brevi tempore mutata nomina, licet iterum mutare, & ex propria peritissimorumque Botanicorum sententia associare Serratulis, quarum certe toto charactere gaudet, a Carduis Cnicisque Linnæi nimium aberrans. In Austriæ alpibus raram plantam unico in loco huc usque inveni, sed tam hic copiosam, ac si nata ex semine de industria sato fuisset. Paucissimas tamen florentes offendi. Radix perennis, nigra, longa vel brevior, simplex vel ramosa, fibris aucta descendentibus, interdum multiceps, & pauco sapore dulci ac subaustero prædita, a foliis delapsis caput squamis latis vestitum gerit. Caulis erectus, fistulosus, a duabus ad quinque uncias altus, superne incrassatus, pilis albis densissime tegitur. Folia radicalia & caulina plurima, sublinearia, acuta, triuncialia, alia integerrima, alia denticulata, inermia, lateribus revoluta, sessilia, per nervum medium extus protuberantem sulcata interno, pilosa ac subtus & versus caulem quam maxime, facie virentia saturate, dorso pallide. Flos solitarius, terminalis, erectus, subodoratus, ratione plantulæ maximus, sessilis in fontmis brevioribus foliis. Calyx communis ovatus vel magis oblongus, imbricatus; squamis plurimis lanceolatis, acuminatis, inermibus, pilosis, ciliaris, ad basin purpurascentibus, ceterum pallide virentibus, intimis erectis, interioribus apice patulis. Corollulæ omnes hermaphroditæ, purpureæ. Tubus gracilis & longus in amplum dein cylindrique formam expanditur, in lacinias quinque lineares obtusas æquales brevesque abeuntem; in exterioribus flosculis valde incurvatus, in centralibus rectos. Antheræ sunt violaceæ. Stigma bifidum purpurascit. Calyx immutatus in fructu. Receptaculum planum villis albis capillaribus & longitudine calycis obsidentur. Semina oblonga, obsolete angulata, glabra, fuscescentia, coronantur pappo sessili, plumoso, & longo. Floret Julio & Augusto. Ad latus tabulæ conspiciuntur, flos integer adhucdum clausus, flosculus ex ambitu, & folium plantæ culæ.

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA PRIMA.

CREPIS AUSTRIACA. *Jacq. vindob. pag.* 270. *tab.* 5.
Hieracium austriacum. *Linn. syst. pag.* 523.

Radix lignosa, perennis, fusca, sæpe horizontalis, fibris crassis aucta, & quandoque præmorsa, caulem plerumque solitarium gignit, erectum, pedalem & ultra, inferne rubentem, superne striatum & hirsutum, foliosum, aut simplicissimum uniflorum, aut superne in paucos pedunculos ramosum. Folia radicalia pauca, in planta florente plerumque jam nulla, oblonga, denticulata, & ex petiolo longo orta. Caulina alterna; ex oblonga figura

in

in lanceolatam eo magis mutata, quo superiora sunt; acuta, denticulata, sessilia, & basibus acute productis subamplexicaulia, hirsutula. Flos magnus. Calycis atrovirentis & nigro-hispidi squamæ oblongæ, acutæ, duplicis seriei; exteriores laxi, patentes, & ab interioribus crectis distantes, Crepidis characterem perfecte indicant. Corolla flava. Semina oblonga coronantur pappo albo sessili & piloso. Crescit in subalpinis, & alpinis; florens Augusto. Planta depicta est in umbrosis nata.

TABULA QUADRING. QUADRAGES. SECUNDA.

RANUNCULUS THORA. *Linn. syst. p.* 378. *Jacq. obs. pag.* 25. *tab.* 13. *Vindob. pag.* 249 *Scop. carn.* 1. *pag.* 398. *Crantz. fasc. pag.* 119.
Ranunculus foliis duris, venosis, reniformibus, rotunde crenatis; convexitate retusa, acute serrata. *Hall. hist. helv. num.* 1178.
Thora major; & minor. *Camer. epit.* 825. & 826.
Thora Valdensium; & Ranunculus grumosa radice tertius. *Clus. hist. p.* 239. *Lob. ic.* 604.
Aconitum pardalianches primum; & alterum. *Bauh. pin.* 184.
Lineum pardalianches genus, uno tantum folio. *Dalech. hist.* 1738.

Tota planta nitida est. Radix teres, fuscescens, unam alteramve unciam longa, perpendicularis, calamum crassa, & persistens, in toto decursu crura multa deorsum emittit filiformia, longa, pallida, & subimbricata. Caulis teres, a palmo ad pedem longus, erectus, ad collum purpurascens, inferne aphyllus. Folia radicalia subreniformia, coriacea, firma, venosa, longe petiolata, lateribus crenata, superne non eodem modo incisa, etiam simul sæpe retusa; in planta florente plerumque solitaria, etiam nulla; semper paucissima. Tale folium, sed radicali multo amplius, brevius que petiolatum, quandoque sessile, summam caulis partem semper unicum occupat; e cujus axilla prodit ramulus uniflorus, dum ipse caulis in similem terminatur, aut in paucos alios eodem dispescitur, idque in plantis vegetioribus; ubi alias quoque sine ramo ullo in unicum florem ipse caulis abit. Ramulorum folia sunt lanceolata, acuta, integerrima & sessilia; in plantis magis ramosis infima trifida aut bifida in lobos foliis summis quoad figuram similes. Petala sunt quinque, nonnunquam sex, lutea cum ungue pallidiore, patentia. Calycis foliola ovata, acuta, petalis breviora, atque horum situ & numero. Semina pauca, glabra, fusca, hinc planula, inde subrotunda, prædita mucrone inermi reflexo. Crescit in saxosis alpium; majora specimina reperiuntur sub pinetis, cujusmodi est depictum fructescens. Floret Majo. Semina perficit Augusto.

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA TERTIA.

CRATÆGUS TORMINALIS. *Linn. syst. p.* 342.
Sorbus torminalis. *Crantz. fasc. p.* 85. *Chm. epit* 162.
Sorbus torminalis & Cratægus Theophrasti. *Bauh. hist.* 1. *p.* 63.
Sorbus torminalis Plinii. *Clus. hist. p.* 9.
Mespilus foliis serratis, septilobis; lobis primis divergentibus. *Hall. hist. helv. num.* 1088.
Mespilus apii folio sylvestris, non spinosa, seu Sorbus torminalis. *Bauh. pin.* 454

Arbor comosa in sylvis crescit, florens ineunte Majo, fructus dans Septembri. Folia sunt alterna, petiolata, glabra, circumscriptione ex ovato subrotunda, serrulata, facie saturate, dorso dilute virentia, septemlobata; lobis acutis; infimo utrinque ad angulum acu-

tum exeunte & lanceolato; reliquis brevibus, sursum tendentibus. Cymæ terminales & axillares in ramulis junioribus, valde irregulares, villosulæ uti toti ramuli. Flores ingrate odorati. Germini ovato villoso [illegible] subincano insidet perianthium monophyllum, pallidum, basi concavum, dein patentissimum & acute quinquedentatum, persistens. Petala quinque, alba, subrotunda, sessilia, obtusa, concava, patentissima, calyci, quo multo majora, inserta. Filamenta fere viginti, alba, subulata, patentia, longitudine corollæ. Styli duo, infra medium connati & hinc sulco utrinque exarati. Stigmata capitata. Fructus oblongus vel subovatus, obtusus, calycis emarcidi reliquiis coronatus, leviter umbilicatus, maturitate fuscus, carnosus, austerus, bilocularis; tandem mespili communis adinstar mollescens, edulis, & saporis aciduli gratique. Semina in quolibet loculamento bina, sed quorum alterutrum plerumque abortat, glabra, subovata, cortice donata badio, nucleo candido.

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA QUARTA.

ANTHEMIS AUSTRIACA.

Ex radice annua ramosa & pallente unicus ut plurimum caulis enascitur, erectus, vix pedalis, teres, in ramos paniculatus. Folia sunt bipinnata, brevia, crassula, subsessilia; pinnulis minutis, conniventibus, lanceolatis, mucronatis, integerrimis, [illegible] lentem albide ciliatis, sessilibus. Flores solitarii erecti & pedunculati ramulos terminant. Calycis hemisphærici squamæ sunt ad oras pilosæ. Radii petala sunt alba, tridentata denticulo intermedio minimo, patentissima, noctu reflexa. Discus luteus. Receptaculum conicum vestitur paleis oblongis, mucronatis & semina longitudine superantibus, nec pungentibus. Semina oblonga, angulata, pappo destituta. Caulis, rami, folia & calyces sunt lanuginose villosula. Folia, imprimis vero flores, valido pollent odore Matricariæ officinalis, cui quiddam de Chamomilla junctum est; sapore autem amaro. Crescit passim inter segetes & ad vias; in arvis vestibilibus ita nonnunquam abundans, ut sata videatur. Floret totam æstatem. Si in hybernaculum transferatur, in olla crescens, sæpe perennat, totamque floret hyemem.

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA QUINTA.

ARENARIA LINIFLORA? *Linn. syst. edit.* 13. *pag.* 355.

Saxis summarum alpium frequens innascitur, hic semper pumila, dense cespitosa, & cau[illegible] duntaxat tinifloros promens; in demissioribus earumdem jugis paulo altior & ex supremi folii axilla serius alterum florem pedunculatum exserens. Hic pedunculus ut plurimum in progressu folia duo opposita emittit. Utriusque icon in tabula pingitur. Radix perennis, cinerea, teres, longaque, rupium fissuras penetrat, surculosque numerosos gignit ramosos perennantes foliorumque rosulis terminatos. Hæc sunt subulata, acuminata, lævia, crassa, erecta, dorso tereti, facie plana. Ramuli florentes sunt annui, erecti, unicum vel tres uncias longi, teretes, foliis oppositis brevioribus latioribusque paucis vestiti, superne villosuli, inferne glabri. Quandoque totus ramulus cum calyce foliisque purpurascit. Foliola perianthii sunt lanceolata, acuta, patentissima, glaberrima, concava, bilineata, in fructu imprimis striata. Petala alba, obverse ovata, obtusa, patentissima, calyce paulo longiora. Antheræ didymæ cum virore pallent. Capsula ovato-oblonga. Semina plurima, reniformia, muricata, fusca. Floret Julio & Augusto.

TA-

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA SEXTA.

CAREX PRÆCOX. *Schreb. flor. lips. pag.* 63.
Cyperoides vernum. *Mich. gen. pag.* 64. *num.* 70. *Seg. ver.* 1. *pag.* 122. *num.* 9. *tab.* 1. *fig.* 3. per errorem sculptoris pro *fig.* 2. sculpta, monente ipso auctore *ver.* 3. *pag.* 84.
Cyperoides mutus, spicis densioribus. *Tourn. inst.* 530.

Ex radice perenni folia enascuntur plura, sublinearia, acuta, integerrima, subcanaliculata, basi culmum amplectentia, patula. Culmus triquetrus, aphyllus, erectus, plus minus semipedalis. Spica mascula unica, terminalis, oblonga, teres, erecta, fæminæis duplo longior. Spicæ semineæ infra masculam duæ frequentius, alternatim subsessiles, etiam dumtaxat unica, erectæ; summa masculæ proxima, inferior parumper remota. Squamæ ferrugineæ, in maribus obtusæ, in fæminis magis in medio mucronatæ dorsoque viridiores. Antheræ ochroleucæ. Styli albi hirsutuli. Semina ovalia, triquetra, ad lentem breviter hispidula. Cæterum tota planta glabra est. Crescit passim in herbidis; florens a fine Martii ad medium Aprilem.

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA SEPTIMA.

SORBUS DOMESTICA. *Linn. syst. pag.* 343. *Crantz. sass. pag.* 87. *t.* 2. *f.* 3.
Sorbus legitima. *Cæs. hist. pag.* 9.
Sorbus sativa. *Bauh. pin.* 415. *Blakw. tab.* 174.
Mespilus foliis pinnatis, subtus villosis. *Hall. hist. helv. num.* 1092.

Arbor vasta, comosa, trunco tandem bipedalis diametri, cortice rimoso fuscescente. Folia sunt pinnata ex foliolis plus minus septem cum impari, oppositis, sessilibus, oblongis, acutis, argute serratis, facie glabris, junioribus dorso lanuginose villosis ac incanis, adultis etiam glabris. Costa teres & junior lanuginosa. Paniculæ florum odoratorum foliosæ & terminales. Pedunculi villosi. Bracteæ ad pedunculos setaceæ & caducæ. Calycis lanati & profunde quinquepartiti foliola parentissima, acuta, planiuscula. Petala quinque, albida vel subochroleuca, ex ungue brevi ovato-subrotunda, valde concava, obtusa, calyci inserta, eodemque triplo longiora, parentissima & tandem reflexa. Filamenta circiter viginti, subulata, alba, corollæ longitudine. Antheræ ex fusco flavæ, incumbentes. Germen inferum, turbinatum, lanuginosum. Styli quinque, raro tres, filiformes, inferne lanuginosi, suberecti, staminibus paulo breviores. Stigmata capitata, chrusa, virentia. Fructus pyriformes, nostratibus Aeschiæ vocantur, glabri, calyce coronante umbilicati, suris ex rubro flavo viridique varii, intus cum quodam virore albidi, valde acerbo sapore præditi, quinquelocularis, pentaspermi, quolibet loculo ex membrana bivalvi constructa. Semina ovata, compressa, cortice donata fusco & glabro. Raro fructus trilocularis est; ut sæpius planta Pyri quam Sorbi species sit. In quinquelocularibus autem loculi etiam aliquot sunt sæpius obliterati feminibusque vacui. Nonnunquam fructus duplo, quam depictus, major sit. Edulis evadit & grati saporis, quando stramine tactus mollescit, undique tunc fuscus. Flores ineunte Majo. Fructus maturescit Octobri. Ad latus depingitur fructus transversim discissus, cum loculus membranaceus, & semen.

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA OCTAVA.

SCIRPUS ROMANUS. *Linn. syst. pag.* 83.

Scirpus capitulo singulari, radice tomentosa. *Barrel. ic.* 255. *fig.* 3.
Scirpoides acutum maritimum, capitulo glomerato folitario. *Scheuchz. gram.* 373. *tab.* 8. *fig.* 6.
Juncus minor acutus maritimus, prolifer ex uno capitello multa. *Pluk. alm.* 200. *t.* 40. *f.* 5.

Radix perennis, teres, horizontalis, calamum crassa, intus albicans, dura, plures successive denso & cespitoso agmine producit plantas, basi bulbiformes & arcte vicinis appressas, quæ multas emittunt radices fibrosas longas teretesque, alias crassas & tactu parumper spongiosas, alias graciles. Basin plantularum obvestiunt vaginæ variæ fuscæ, nitidæ, striatæ, acuminatæ, erectæ, ab una ad tres uncias longæ. Folia pauca, culmo semper breviora, cæterum longitudinis valde diversæ, semiteretia, antice sulcata cum oris retrorsum scabris, linearia, acuta, recta, radicalia omnia. Culmus erectus, teres cum parte aliqua obscure plana, ab unico ad tres pedes altus, viridis, medulla alba farctus. Flores colliguntur in capitulum subglobosum, sessile ad apicem culmi inter duo involucri foliola subulata & acuta, quorum alterum longissimum & sæpe erectum mentitur productum ultra flores culmum, latere suo sulcatum oritque asperis foliis nec culmo simile. Alterum gracilius breviusque, imo nonnunquam vix ipso capitulo longius, reflectitur. Et tale dum unicum capitulum est, convenit exactissime specifica Linnæi determinatio. Sed variat admodum planta, dum aut in omnibus ejusdem cespitis culmis capitulum sessile solitarium conspicitur; aut in alio cespite sessile illud plura alia pedunculata ubique comitantur; aut dum in eodem plantæ cespite alii culmi solitaria, alii plura capitula gerunt, manifesto indicio, optime Linnæum meras varietates pronunciasse. At vero quandoquidem non minor apud nos numerus est culmorum multicapitatorum quam illorum, qui unico capitulo gaudeant, definitio Linnæi stare nequit. Quin etiam scirpi Holoschœni determinatio mutanda sit, utpote scirpi romani varietatem multicapitatam exprimens non minus. Squamæ flosculorum sunt ovatæ, acutæ, concavæ, ex fusco viridi pallidoque variæ. Antheræ lineares, flavæ. Stigmata alba. Semina trigona. Crescit in pratis udis. Floret æstate.

TABULA QUADRING. QUADRAGESIMA NONA.

MOEHRINGIA MUSCOSA. *Linn syst.* p. 275. *Scop. carn.* 1. p. 277.
Alsine octostemon; foliis connatis, linearibus. *Hall. hist. helv. num.* 860.
Alsine muscosa quibusdam. *Bauh. hist.* 3. p. 365.
Alsine montana capillaceo folio. *Bauh. pin.* 251. *Scheuchz. it.* 7. *p.* 508. *t.* 6. *Pluk. alm.* 23. *t.* 75. *f.* 1.
Alsine saxatilis. *Lindern. hort. t.* 2.
Alsine tenuifolia muscosa. *Seg. ver.* 1. *p.* 418. *t.* 5. *f.* 1.
Alsine saxifraga angustifolia minima montana. *Till. cephr.* 1. *p.* 292. n 290.

Radix filiformis, ramosa, perennis, & infra terram repens, caules emittit herbaceos, filiformes, teretes, debiles, ramosissimos, annuos, & virentes. Folia sunt opposita, linearia, angustissima, integerrima, acuta, dorso teretia, facie canaliculata, sessilia basique parumper connata. Cauliculi terminantur ramose in pedunculos uniflores, unciales, successive florentes & elongandos; quibus subiiciuntur folia lanceolata & brevissima. Calycis foliola quatuor, lanceolata, acuta, patentissima, virentia cum oris pallentibus, persistentia. Petala totidem, oblonga, obtusa, plana, patentissima, alba, calycem superantia. Filamenta octo, alba, longitudine perianthii, capillaria. Antheræ ochroleucæ. Germen globosum ex flavo pallet. Styli duo, subulati, erecti, longitudine staminum. Stigmata simplicia acuta. Capsula globosa, unilocularis, quadrivalvis. Semina plurcula, reniformia, compres-

pressula, nigra, cum hilo excrescente magno multifido alboque. Crescit passim in alpestribus ad scaturigines, in locis udis, similibusque. Floret totam æstatem. Ad latus sistitur cauliculi floriferi, jam adulti & evoluti pars superior; tum auctum multoties semen. Celeberrimum Seguierum non intelligo, qui autores carpit, quatuor (nec quinque, uti ille observasse se ait,) flori hujus plantæ petala dantes, dum tamen quatuor dumtaxat ipse in icone habet.

TABULA QUADRINGENTES. QUINQUAGESIMA.

EUPHORBIA SEGETALIS. *Linn. syst. p.* 333. *Ger. prov. pag.* 538.
Tithymalus annuus lunato flore, linariæ folio longiore. *Micris.* [illegible]. 3. *p.* 339. *t.* 10. *t.* 2. *f.* 3.
Tithymalus segetum longifolius. *Raj. angl.* 3. *pag.* 312.

Annua, tota glaberrima, & lacte scatens candido planta, ex radice fibrosa & sordide albente caulem attollit basi adscendentem, hinc erectum, teretem, plus minus pedalem, & simplicem. Folia plurima sparsa, linearia, acuta, plana, obscure petiolata, integerrima, foliis ferme duplo breviora. Involucella acuta & sessilia forent late cordata, si adesset in basi emarginatio. Flores omnes sunt fertiles & sessiles. Calyx glaber pallide flavet. Petala quatuor, acute lunata, citrini coloris. Filamenta albida. Antheræ citrinæ, oblongæ, gemellæ. Germen verrucosulum. Capsula ad oculum nudum glabra, ad armatum rugosula. Semina pallida. Crescit in arvis. Floret totam æstatem; viretque & vegetat in hyemem usque, quando ex alis ramosior evadit, ipsamque umbellam principem multo etiam acquirit ramosiorem.

APPENDIX
STIRPIUM EX ALIIS PROVINCIIS, AUSTRIÆ ADJACENTIBUS.

TABULA PRIMA.

GYPSOPHILA PANICULATA. *Linn. syst. pag.* 306.
Alsine frutescens, caryophylli folio, flore parvo albo. *Gerb. ran.* 15.

Amicissimus ac reverendus Sigismundus Comes ab Hochenwart ex Hungaria a se inventam, & copiose in campis circa Budam crescentem, mihi attulit, quæ nunc a quinque annis in horto lætè vegetat, & annuatim ex radice perennante, crassa, carnosa, solida, albicante natus, foris fusca, & saporis pauci ac subacris caules promit plures, teretes, nodosos, totus humi prostratos, sesquipedales, calamum crassos; inferne villosos, subscabros, obtuse atque obsoletius tetragonos, & simplices; superne glabros. Hi versus medietatem & ultra emittunt ad nodos utrinque aut ex altero tantum latere ut foliorum alis ramos adscendentes, alternatim & parentissime ramosos ipsos, pedales, nitidos, glabros, foliosos, pallentes, tandemque in paniculam florigeram diffusos, dum etiam ipsi in similes paniculas caules terminantur. Unde vix alia planta magis esse paniculata potest, dum densa flosculorum colors totam aream tegat. Ex caulis parte aliqua unicum ramum, eumque mediocrem, exeuntem & florere modo incipientem tabula repræsentat, ex qua facile totius stirpis habitum sibi quis finget. Ex seminibus enata planta tertio demum anno floruit, antea dumtaxat caules breves sterilesque gennit. In florente planta folia caulina paulatim marcescunt, & pereunt. Sunt autem folia anguste lanceolata, acuta, opposita, sessilia, integerrima, crassa, subglauca, ad oras subscabra & ad lentem cartilaginea - crenata, infima tripollicaria, superiora sensim minora, primi anni fere omnia & subsequorum caulina infima hirsuta, reliqua glabra. Pedunculi sunt ramosi. Flores numerosissimi & inodori. Calycis subovati glabri obtusi & obtuse quinquefulcati foliola virent cum ore ad sulcos albidis. Petala alba oblonga obtusa integerrima ungue donata brevi & calyce duplo longiora revolvuntur. Filamenta semper numeravi decem, omnia antheris pallentibus instructa, nec ulla sterilia. Longitudine vero occurrunt diversissima, ita ut in aliis floribus cuncta, ejusdem longitudinis inter se, corollæ revolutæ superemineant, cujusmodi illa flos auctus in tabulæ latus monstrat; in aliis autem quina ad minimum ita sese habeant, dum reliqua numero incerto nec æqua longitudine sint breviora, quæ vero ad priorum normam paulatim increscere suspicor. Etiam stylis longitudo varia est. Pericarpium generis est. Semina minuta valde. Florem pure masculum non vidi. Floret Julio & Augusto. Semina perficit Septembri.

TABULA SECUNDA.

SILENE PUMILIO.
Cucubalus pumilio. *Linn. syst. pag.* 309. *mant. p.* 71.
Caryophyllus sylvestris octavus. *Clus. hist. p.* 285.

Ra-

Radix perennis, digiti auricularis crassitudine, vix spithamam longa, teres, oblique in terram descendens, radiculis sive fibrillis prædita, ex foliis annotinis tabefcentibus circa caput squamata; summa in tellure in latum cespitem caulium simplicissimorum, læto graminis virore oculos allicientem, undique diffusa. Caules alii floriferi; alii, iique frequentiores, foliosi dumtaxat; nulli semisfcerum pollicem longitudine excedentes. Hi ilique semper per terram prostrati, nec nisi apicibus erecti, ut flores aeaules terræ ipsi irradicatos credas. Genicula cauliculorum tria, summum quaternum, brevia, teretia, nuda. Folia radicalia seu cespitis permulta, dense aggregata, simplicia, linearia, obtusa, angusta, integra, nuda, graminis virore, semipollicaria. Caulina ad geniculorum dumtaxat bases opposita, sessilia, sive connato-amplexicaulia, & ipsa linearia, cum modico acumine, angustissima, nuda, dilute virentia, integra, brevia, ad basin in tenera subeim ætate ciliata. Flos terminalis, unicus in quovis caule, erectus, respectu plantulæ maximus, plerumque nonnunquam, cui insidet, cauliculum longitudine excedens. Calyx inferus, cylindricus, subinflatus; quinquedentatus, dentibus obtusis rotundatis brevibus æqualibus; ex viridi tandem nigro-ruber, villis albidis densissimis exstantibus hirsutus. Corolla petalis quinque, in ungues planos, albos, longitudinem calycis æquantes, introrsum basi cannatos, decurrentibus. Limbus erecto-patens, rosei coloris; lobis latis, obovatis cum aliqua emarginatura seu obscure obcordatis, singulis ad faucem denticulis binis longiusculis setaceis initio albis, tum incarnatis, denique albis, instructis, coronulam faucis characteristicam constituentibus. Stamina decem, sub receptaculo affixa; filamentis subulatis, albis, calycis longitudine, alternis paulo brevioribus. Antheræ oblongæ, acutiusculæ, roseæ, tandemque cinereæ, per faucem prospicientes in staminibus longioribus. Germen oblongum, cylindraceum, læve. Styli tres, albi, filiformes. Stigmata simplicia. Capsula unilocularis, trivalvis, polysperma. Odor nullus. Crescit copiosissima in alpibus Carinthiacis summis solo aprico micaceo-arenoso auf den Fladnizer Alpen, Leiterfteig, Winterthal, Eifenhut, Saualpen, Nassfelder Tauern in der Malniz, Spitaler Alpen, & aliis; florens Julio & Augusto. Ad latus adstant petalum, & pistillum, W. *

TABULA TERTIA.

ECHIUM RUBRUM.

Echium creticum. *Hænt. flor. tyrnav. pag. 24.*

Echium rubro flore. *Clus. hist. CLXIII.*

Echium sylvestre hirsutum maculatum. *Bauh. pin. 254.*

Ex Sopronii pratis illustris a Mygind, ex Tyrnaviensi agro clarissimus Chemiæ & Botanices Professor Winterl vivum florensque mihi attulere speciosissimum hocce Echium, etiam aliis in Hungariæ locis copiose crescens. Radix semipedalis, calamum vel digitum crassa, lignosa, intus albicans, cortice crasso atro & inæquali obducitur, sæpe biennis, etiam plures annos durans, superne foliorum præteritorum reliquiis fœdata nigris, infra folia plerumque incurvata. Caulis ut plurimum unicus, in cultis etiam bini vel terni, pedem unum alterumve altus, stricte erectus, firmus, simplex, totus foliosus, pilis albidis hispidus & asper, punctisque atrorubentibus adspersus. Folia sunt anguste & elongate lanceolata, acuta, integerrima, crassa, utrinque pilis densis albidisque tota hispida, dorso dilutius virentia, radicalia in basin attenuata, caulina sessilia. Ex superiorum, successive breviorum, alis exeunt racemi, in se veloci convoluti, paulatim producti more Echii vulgaris, spicam una formantes semipedalem, in individuis altioribus sesquipedalem. Perianthii hir-

 su-

* Ubi litera W subjicitur descriptioni, indicatum volui, & hanc descriptionem, & ipsam iconem pictam archetypam, mecum a reverendo atque amicissimo viro, Francisco Xaverio Wulfen, Botanico insigni, ex Carinthia communicatas fuisse.

suti foliola sunt, petalo plus quam duplo breviora, æquantque ejusdem tubum. Ex hoc faux campanulata exoritur, in limbum oblique divisus quinquefidum; cujus laciniæ sunt triangulares breves & subæquales. Totum petalum interne glabrum, externe ad lentem hirsutum & quinque lineis prominulis subpentagonum est, elegantissime saturatissimeque cum levi purpura rubens, rarissime coloris carnei, nunquam cærulei aut violacei. Filamenta rosea & glabra corollam ad unam tertiam sui partem superant, prædita antheris subrotundis & cæruleis. Stylus albus pilis longis sursum appressis [redacted] apicem ferme usque obsitus est. Semina suscescunt.

TABULA QUARTA.

PRIMULA CARNIOLICA.
Primula integrifolia. *Scop. carn.* 1. *p.* 133.

Tota planta glaberrima est, nullibi viscosa aut farinosa. Differt manifeste & constanter a Primula integrifolia Linnæi, in Austriæ alpibus obvia, quod vel solo ex flore cognoscitur. Scilicet in Primula carniolica calyx pius quam duplo brevior est tubo corollæ, in integrifolia vix ultra unam tertiam ejusdem partem; eisque præterea in illa angustior, in hac tubo corollæ amplior. Laciniæ petali in integrifolia multo profundius secantur, ipsæ semibifidæ; tubus vero basi angustatur; quæ omnia in carniolica sic non obtinent. Germen in integrifolia totum viret. Tum folia, etiam ex oblongo ovalia & subacuta, sunt ut plurimum obsoletissime repanda, nec, uti in integrifolia, tam crassa vereque integerrima, nec habent [redacted] oras cilia ulla. Specimina viva, quæ clarissimus Hacquet ex Carniolia transmisit, in horto sub dio persistunt, & florent quotannis mense Majo. Scapus levissime angulatus, tenuis, erectus, foliis altior, & ad pedunculorum adscendentium exortum bracteis gaucis vestitus, in plantis majoribus, meliori solo crescentibus, flores gerit a tribus ad sex, qualis depicta major est, in rupibus autem, ex quibus depicta minor est, evadit unifloris vel bifloris; in culta planta ab unico ad tres flores sustentant. Sunt hi suaveolentes, & umbellati. Calycis tubulosi virentis subteretisque denticuli sunt obtusiusculi. Petalum vere infundibuliforme, nec [redacted] tubum collo hemisphærico ullibi donatum, purpurascit, aut rubet magis, cum tubo interne albente; inque limbi laciniis dispescitur obverse cordatas obtusasque. Filamenta alba atque omnium brevissimi inseruntur corollæ modo supra ipsam basin intra ipsum calycem, modo altius, & vel ad ipsas fauces limbi. Antheræ flavent. Germen depresse globosum ac obsolete quinquesulcatum viret ad basin, cæterum ex atro purpurascit. Stylus purpurascit dilute. Stigma capitatum & obtusum pallide viret. Calyx in fructu suscescit, exhibitus ad tabulæ marginem; includitque capsulam subrotundam parvam styloque persistente instructam, avulso calyce proxime depictam; seminibus fœtant paucis. Crescit in Carniolia alpibus.

TABULA QUINTA.

FERULA NODIFLORA. *Linn. syst. pag.* 209. *Scop. carn.* 1. *p.* 204.
Ferula minor ad singulos nodos umbellifera. *Tourn. inst. p.* 321.
Libanotis quibusdam, flore luteo, semine ferulæ. *Bauh. hist.* 3. *part.* 2. *p.* 41.
Libanotis ferulæ folio & semine. *Bauh. pin.* 158.
Panax Asclepium, ferulæ facie. *Lob. ic.* 783.

Ex radice perenni, terete, longa, uncialis diametri, circulis valde extantibus exasperata, intus alba, foris suscescente, sapore aliquo ingrato & subacri prædita, tandemque multi-

cipite, caulis unicus vel plures attolluntur ad humanam altitudinem, erecti, uti tota planta glabri, striati, angulosi, medulla alba duriuscula farcti, superne in pedunculos umbelligeros fere paniculati. Folia caulina infima alterna, subsequa opposita, superiora verticillata; sensim adscendendo multo breviora & minora, ut in summis mera sint foliolis vaginulae fere reflexae. Radicalia & caulina infima longe petiolata; petiolis communibus compressiusculis; costa media in divisione principe triangulari. Sunt autem omnia supradecomposita & ampla; pinnulis extremis setaceo-linearibus, acutis, integerrimis & planis. Umbellae planae nec densae. Involucri universalis foliola reflexa; particularis patentissima; utriusque plura lanceolata & acuta. Radii striati. Petala lutea, revoluta. Pistillum flavescit. Stamina flava inter petala eriguntur. Semina utrinque ovata, obtusa, plana, hinc fusca, inde pallida. Crescit in littorali Austriaco. Floret sub finem Junii & Julio. Semina maturescunt Augusto & Septembri. Ad marginem stat flos auctus; & semen utrinque conspectum in naturali magnitudine.

TABULA SEXTA.

CYPERUS PANNONICUS.

Hanc plantam & sequentem, copiose in littore lacus Peisonis, qui in Hungaria haud procul a limitibus Austriae est, crescentem, Augusto & Septembri florentem, vivam mihi attulerunt ex itinere Botanico illustris Joannes Ingenhousz, archiater Caesareus, & clarissimus Schiwereck; ad quae specimina sylvestria imagines pingi curavi. Natura habitum cultura mutavit. Cyperus hic totus glaber nitidusque est. Radix annua, fibrescens aut rufis, fibrillis constat numerosis longisque, culmorumque gignit caespitem densissimum, inaequalium gradatim breviorum, qui omnes sunt quasi gracile tellum inque ambitum incumbunt, fibrillas etiam novas radicales ex basi emittentes, a semuncia ad semipedem longi, obsolete triquetri, aphylli, ex basi incrassata teretes, & superne solidi. Folium radicale, vaginans culmum ad varium altitudinem, sed eodem multo brevius, lineare, canaliculatum, unicum in culmo florente est; ante cujus egressum pauca brevissima adsunt alia, quorum nunc folae reliquiae conspicuae supersunt. Involucri foliola duo, rarius tria, longitudine inaequalia, spiculis plerumque longiora, similitudinem folii radicalis habent. Spiculae ex ovato oblongae, ternae vel quaternae, umbellatim sessiles, obtusae, compressae, plerumque leviter incurvatae, magnitudine diversae. Squamae membranaceae, subrotundae, obtusae, pallide cum striis viridibus ad dorsi summitatem in acumen concurrentibus. Semina dilute badia, glabra, lateovata & compressa. Caetera ad characterem Linnaeanum sunt. Ad latus exhibetur spicula ad lentem aucta.

TABULA SEPTIMA.

PHLEUM SCHOENOIDES. *Linn. syst. pag. 88.*

Gramiinis species singularis, an Dactylis? *Pall. it. 2. p. 713. t. K. f. 1. & t. Q. f. 2.*
An? Phalaris repens, floribus sessilibus fasciculatis fastigiatis, foliaceo bivalvi compresso obtectis. *Lassl. hisp. p. 114?*

In planta nihil pungentis est, etiamsi rigidula sit. Tota pallide virens, adultior magis glauca. Radix fibrosa, parva, albicans, annua, plures culmos generat procumbentes; ratione ipsius plantae, aut pusillae aut majoris, ab uncia ad decem uncias longos; valde tamen semper longitudine inter se inaequales in singulis individuis; semiteretes, dum latere altero, quo ramulum vel folium inferius spectant, sunt plani; nodosos, geniculatos, glabros, sub-

striatos

striatos, ramisque brevibus axillaribus auctos. A spica fructigera integra, sæpe ultro tota germinante, cespes densissimus plantularum enascitur, fere totidem, quot semina in spica fuerunt, radices in centro gerentium confusas. Atque illæ tunc, interiores pusillæ, exteriores longiores, inque orbem omnes sparsæ, ipsæ numerosæ simul plantam mentiuntur singularem unicamque. Folia ex lanceolata basi paulatim longeque in acumen desinunt, firmula, striata, integra, a dimidia ad duas uncias longa, alternantia, planissima vel conniventia, modo glaberrima, modo inferne rariter pilosa, spinulis minutissimis albidis & ad lentem digitumque deorsum motum solummodo observandis in oris nervoque medio dorsali exasperata; orta ex vagina cylindrica, amplexicauli, striata, pallente, superne & interne barbata, geniculis multo breviore. Flores in capitulum collecti subrotundo-compressum & solitarium culmos ramosque terminant. Involucri foliola duo opposita, basi concava latissimaque, & sessilia, cæterum foliis similia, horum longitudinem etiam habent, aut sunt ipsis vix capitulis longiora. Infra hæc folia nonnunquam folium aliquod peculiare sessile habetur, quod sinu suo capitulum pauciflorum fovet. Receptaculum oblongum & gracile flores numerosos locat, nullis paleis distinctos, omnes hermaphroditos & fertiles. Glumæ sunt uniflorae, compressæ, carinatæ, ad ora serrulato-spinulosæ, in dorso acuto virentes & ex albo spinulosæ, cæterum pallidæ membranaceæ & semipellucidæ, erectæ, muticæ; valvula altera breviore & angustiore. Petala sunt duo, erecta, mutuo amplexantia, carinata, obtusiuscula, subpellucida, albida; altero, quod ante glumæ foliolum brevius ponitur, calycem superante, dorsumque compressum virens pariterque spinulosum habente; altero integerrimo & breviore. Filamenta duo, (nunquam a me observata tria, nec vel ipsa in Pallasii culta viva planta,) capillaria, debilia, albida, & corollam superantia, antheras sordide flavas gerunt, lineares, basi hastatas, & incumbentes. Germen oblongum, obtusum, glabrum & petalis duplo brevius viret. Styli duo, albidi, & capillares, stamina longitudine æquant. Semen unicum, oblongum, compressum, utrinque obtusum, subpellucidum, glabrum, flore duplo brevius, pallidum cum margine respiciente valvulam glumæ breviorem fusco, coronatum stylorum parte superstite, calyci conniventi includitur. Crescit in littore lacus Peisonis. Floret a fine Julii ad Septembrim. Semina perficiuntur Octobri. Ad latus repræsentantur aucta, flos in statu solito; idem vi explicatus, ut omnes partes in conspectum prodeant; semen; & antea idem hoc in magnitudine naturali

TABULA OCTAVA.

VICIA SERATIFOLIA.

Vicia supina, latissimo folio serrato. *Tourn. inst. p.* 397.

Aracus sabaceus serratus. *Bauh. hist.* 2. *p.* 287.

Uti videtur, post Joannem Bauhinum, qui ab Agerio ex montibus Euganeis hanc se habuisse testatur, Botanicorum primus denuo excitavit autoptes illustris Franciscus a Mygind, qui mihi illam recentem adtulit, copiose circa Sopronium Hungariæ urbem ad limites Austriæ crescentem. Morisonus quidem Viciam quandam foliis serratis cum Vicia Narbonensi ceu varietatem meram conjunxit; sed nec icon nec descriptio evincunt, utrum fuerit de hac locutus. Radix annua, albida, ramosa, & tuberculis more affinium donata, caulem promit unum alterumve, acute quadrangularem, adscendentem basi, inde erectum, unum vel duos pedes altum. Stipulæ sunt subrotundæ & inæqualiter acutissimeque dentatæ. Folia infima sunt binata, subsequa bijuga, superiora trijuga aut etiam quadrijuga; cirrho plerumque tripartito terminata. Costa est angulose striata. Foliola subovata, obtusa, argute dentato-serrata, pallidius virentia, & brevissime petiolata. Extremi jugi foliolum aliquod sæpe desideratur, quando tunc folium pinnatum cum impare videri posset. Caulis, costæ, & foliorum oræ venæque dorsales tam raris tamque subtilibus adsperguntur pilis, ut

fu-

fugiant oculum inermem. Pedunculi pauciflori axillis insident breves. Calycis compressi striati & glabri denticulus inferior angustior longiorque reliquis porrigitur. Hujus latera qui claudunt, laterales versus superiora acuuntur; summi duo connivent obiter. Corollæ insignes vexillum ex latissimo & connivente ungue in laminam explicatur erectam, emarginatam cum exiguo mucrone, purpuream cum venis adscendentibus saturatioribus, callosam & originem violaceamque. Alæ ungue gracili longoque instruuntur, baseos segmento introrsum acutato, inferne pallentes cum suffusa purpura; & hinc ad angulum ferme rectum propendulæ atrosanguineæ obtusissimæque. Carina violacea & obtusa ungui insistit longo albo. Glandula characteris Linnæani deest viridis. Germen hirsutum. Stigma barbatum. Legumen, quod maturum videre haud contigit, lateribus glabrum, compresso-planum, polyspermum & oblongum, & utrimque suturam cilia gerit alba, ex lata basi orta, uti ex adjecta aucta leguminis parte patet. Floret Junio.

TABULA NONA.

ERYTHRONIUM DENS CANIS. *Linn. syst. veg.* 241 *Scop. carn.* 1. *p.* 242. *Hall. hist. helv. num.* 1234. *Gmel. sib.* 1. *p.* 39. *t.* 7.
Dens caninus. *Clus. hist. p.* 266.
Dens canis latiore rotundioreque folio. *Bauh. pin.* 87.
Dens canis angustiore longioreque folio. *Bauh. pin.* 87.

Vivam plantam accepi a cler. Hacquet ex Carniolia, in qua provincia, tum etiam in Styria atque Carinthia sponte crescit, florens Aprili. Bulbus oblongus, teres, albus & uncialis, in juvene planta needum florente solum unicum folium radicale producit; postea scapum promit teretem, purpurascentem, solidum, erectum, semipedalem, & inferne foliis duobus oppositis ornatum. Sunt hæc breviter petiolata, glabra, integerrima, acuta, in prona facie ex fusco viridique variegata; lanceolata, oblonga, vel ovata. Flos unicus, terminalis, nutans. Petala ex purpureo rubent, plana; interna simul tubulum brevem interne virentem formantia, dum alterna exteriora incumbunt alternis interioribus; hinc patentissima, eandemque reflexa. Interiora ad basin internam callum album crenatum habent. Filamenta alba, compressa, acuminata, & petalis triplo breviora, sustinent antheras nigras longasque. Germen triquetrum est. Stylus inferne pallet, superne rubet, & crassescit in stigma trifidum.

TABULA DECIMA.

ASTRANTIA CARNIOLICA.
Astrantia minor. *Scop. carn.* 1. *p.* 187. *t.* 7.

Clarissimus Hacquet, Chirurgiæ & Artis obstetriciæ professor Labacensis, plantam vivam cum horto communicavit, quæ nunc, quantam habet, multiplicata, ibidem quotannis sub dio copiose floret. Radix perennis, digiti minimi fere crassitie, unciam plus minus longa, præmorsa, ex nigro fusca, fibris undique capillata nigris longisque, odore gaudet aromatico balsamico, sapore aromatico pauco simulque nauseoso & tandem acri. Tota planta glabra est. Caulis teres erigitur, gracilis, semipedalis vel duplo altior, fere aphyllus, nam unico plerumque folio decoratur, quod modo supra ipsam caulis originem, modo locatur altius, radicalibus simile, aut trilobum dumtaxat, etiam simplex. Caulis ipse superne in ramos trinos & sæpe subdivisos umbellatim solvitur. Ramus medius quoque adest frequenter indivisus. Umbellarum hinc numerus variat a sex ad viginti octo. Ramosiorem

Scopoliana figura monstrat, simpliciorem caulem mea. Ad ramulos bracteæ exiguæ ovatæ concavæ obtusæ pallidæque locantur. Involucrum universale constat foliolis a duobus ad quinque, sessilibus, acutis, rariter serratis, integris vel semibilobis trifidisve. Umbellulæ parvæ habent involucri proprii foliola a sex ad duodecim, ex oblongo lanceolata, integerrima, acuta, patentissima, alba cum linea media virente, & sui longitudine. Flosculi insident pedunculis propriis capillaribus & [illegible] lentem tuberculato-scabris; masculi plures longioribus; fœminei sine certo situ immixti brevioribus. Petala alba, ob apicem valde inflexum cordata, erectiuscula, in utrisque marcescendo persistunt. Perianthii proprii foliola sunt ovata, concava, albida, & fere longitudine corollæ. Stamina corollam æquant. Germen hirsutum pallet cum aliquo virore. Semina gemella, ovalia, calyculi antarcidi parte coronata, hinc glabra & planiuscula cinerascunt, illinc convexa muricataque albent. Floret Julio & Augusto. Adduntur ad latus semen in naturali magnitudine; tum aucta flos, semina utrinque conspecta, eorumdemque sectio transversa.

TABULA UNDECIMA.

ASTRANTIA EPIPACTIS. *Scop. carn. 1. pag. 185. t. 6.*
Sanicula involucris maximis quinquefoliis, seminibus tuberculosis. *Hall. nomencl. pag. 67.*
Helleborine. *Tabern. ic. 84.*
Helleborine saniculæ facie. *Bauh. pin. 186.*
Alpina Elleborine, Saniculæ & Ellebori nigri facie. *Lob. ic. 664.*
Epipactis. *Matth. in Diosc. pag. 721.*

Florentem vivam clarissimus Hacquet ex Carniolia transmisit. In Hungariæ Comitatu [illegible]triensi primus beatus Lipp eandem invenit. Radix perennis, intus pallens, foris nigra, calamum crassa, tortuosa, obliqua, ramosa, sapore subacri ingrato tandemque exsiccante prædita, paucas uncias longa, fibrisque crassis longis & nigris jubata, aliquot e capitibus inter squamas geminas oppositas concavas & rubentes folium unicum unumque scapum florentem producit. Hic modo una cum folio adest, modo folio præcocior est. Folium glabrum innititur petiolo semipedali, acute trigono, & inferne purpurascenti; rotundatum & ad basin usque in tres partes divisum; obtusum, argute serratum; foliolo intermedio breviter trilobato; lateribus profunde bilobis, lobulis hisce ipsis diversimode breviterque aut trifidis, aut bifidis. Scapus glaber erigitur ad folii circiter altitudinem, terminatus involucro plerumque pentaphyllo, interdum hexaphyllo, & eodem numero angulatus. Foliola involucri sessilia patent, obverse ovata, supra medium serrata, obtusa, & pallidius virentia. Flosculi exigui in capitulum parvum dense collecti occupant centrum involucri. Ex his alii, qui sunt pedicellati, masculi germine carent, hinc steriles. Alios sessiles hermaphroditos, numero pauciores, vidi, fertilesque omnes; quibus mere fœmineos clarissimus Scopoli adnumerat, quos mihi videre haud contigit. Utrisque foliola calycina sunt quinque, ovata, acuminata, concava, pallide flaventia, & petala. Petala etiam quinque, sublanceolata, flava, erectiuscula, calyce duplo longiora, apicem oblongum acutumque gerentia quam maxime inflexum. Hæc inter, extrorsum magis, eriguntur filamenta quinque subulata longa, quibus antheræ oblongæ sulphureæque incumbunt. Hermaphroditi stylum habent duplicem, filiformem, & utrinque reflexum. Semina fusca, ovata, hinc gibba, & rugose striata, illinc sulcata, calyce & stylo persistentibus coronata, inodora & ferme insipida. Ad latus seorsim aucta sistuntur flos masculus integer, petalum, pistillum cum calyce ex flore hermaphrodito, semen unum ejusdemque transversa sectio; denique in magnitudine naturali semen.

TA-

TABULA DUODECIMA.

TUSSILAGO SYLVESTRIS. *Scop. carn. 2. pag. 175.*

Novam plantam, quam vivam ex Carniola a clarissimo Hacquet accepi, tum etiam ex Styria habui, clarissimus Scopoli primus proposuit, non bene conjungens cum Linnaeano Hallerianoque synonymo, quem errorem secutus fui in Florae Austriacae tabula ducentesima quadragesima sexta, ubi ex Tussilaginis alpinae synonymis plantam hanc Scopolianam, tunc nedum mihi visam, expungi debet, manente autem Halleriana Linnaeanaque. In Carniolae sylvis, atque Styriae montosis fagetis crescit, florens Majo. Radix crassa, perennis, fibris subtus pluribus. Folia generat pauca, longe petiolata, ex reniformi subrotunda, superne glabra, tenuia nec crassa; subtus & ad nervos praesertim [illegible], adulta sex [illegible] villosa; obiter septemlobata, lobis inaequalibus & acute dentatis; utrinque virentia, dorso pallidiora quidem, nunquam tamen hic incana. Folia caulina a duobus ad quinque; inferiora petiolo latissimo connato & amplexicauli [illegible], lobata incisa; summa sessilia lanceolata & integra. Caulis teres, semipedalis vel altior, & villosus, erigitur, terminaturque plerumque unico, erecto & inodoro, cui quandoque ex foliorum summorum alis alii pedunculati unus alterve accedunt. Calyx inferne virens, superne purpurascens, constructus ex foliolis lanceolato-oblongis, acutis, glabris, circiter quindecim. Flosculi feminei [illegible] petali in ambitu circiter dena. Hermaphroditi circiter triginta quinque [illegible] habent [illegible] quinquefidumque. Antherae ex [illegible] purpureae. Stigmata [illegible]. [illegible] feminea [illegible] & papposa. Ad latus sinistrum folium varium ex alia [illegible] plantae; cum parte caulis striati.

TABULA DECIMA TERTIA.

LIGUSTICUM PELOPONNESIACUM. *Linn. spl. p. 211. Scop. carn. 2 p. 205.*

Ligusticum foliis duplicato-pinnatis; pinnulis acute dentatis, longe lanceolatis. *Hall. helv. n. 758.*

Seseli Peloponnense. *Cam. epit. p. 51.*

Cicutaria latifolia foetida. *Bauh. pin. 161.*

Cicuta latifolia foetidissima. *Moris. umb. p. 18. t. 6.*

Radix perennis, odorata, & saporis acris [illegible] diu persistente [illegible], longa, pollicem [illegible], crassiora, fungosa carnosa, alba, vestita cortice membranaceo [illegible]. Caulis pedaneus & ultra crassus, amplius [illegible], teres, [illegible], ramosus, & crescentes, ad tertium vel quintum pedem altitudinem assurgit. Folia radicalia & caulinum inferius sunt tripinnata & circumscriptione amplissima. Tum caulinum praeterea adest superius [illegible] bipinnatum. Summa quandoque opposita sunt, vel & terna aut quina. Pinnae sunt pinnatifidae, longe lanceolatae, confluentes & acutae; quaedam etiam quandoque sessiles ad costarum divisiones. Costae teretes, striatae, crassae, & fistulosae. Umbella caulina terminalis, erecta, ampla, densa, convexa, [illegible] florens. Aliae axillares ex foliis, hinc interdum verticillatae, minores, modo ultra primariam elongatae, modo breviores, saepe abortientes ob defectum germinis aut [illegible], aut ex parte. Pedunculi sunt patentissimi. Radii florum a viginti quatuor ad quadraginta. Involucri utriusque foliola circiter quina, angusta & inaequalia. Petala pallida, ovalia, acuta, patentissima vel reflexa, apicem gerunt quidem inflexum, nec tamen cordata. Filamenta albida cum virore aliquo & patentissima corollam superant. Antherae & [illegible] germen flavent. Styli subulati elongantur. [illegible] compressus & glaber dispescitur in

semina oblonga, fusca, intus plana breviterque bimarginata, extus tribus alis donata, saporis aromatici nec grati. Tota planta glabra est, & etiam olet quidem, at non foetet. Floret Majo & Junio. Semina maturescunt sub finem Julii. Cultam in horto descripsi, & pingi curavi. Ad sinistrum latus sistitur radicis portio cum fecedente caulis parte. Dein flos auctus; semen in nativa magnitudine, utrinque conspectum; & hujus sectio transversa.

TABULA DECIMA QUARTA.

EUPHORBIA CARNIOLICA
Tithymalus glabus. *Scop. carn. 1. pag. 336. t. 21.*

Clarissimus Scopoli solus, opinor, hujus plantae mentionem fecit, cujus nomen, quia ipso Linnaei non est, substitere non potuit, quare novum imposui. Vivam a clarissimo Hacquet habui, quae culta in horto jam ab aliquot annis habetur nec mutavit, fructum tamen maturum nullum dedit. Lacte candido, nec acri, tota turget. Ex radice perenni, crassa, nodosa, foris nigricante, inaequali, obliqua, fibrisque crassis aucta, caules herbacei, annui, plures, teretes, rariter subpilosi, simplices, spithamaei, alii floriferi, alii steriles, eriguntur. Folia sparsim decussantur, obovato lanceolata, mollia, integerrima, obtusiuscula, patentissima, in brevem petiolum attenuata vel subsessilia; pilis mollibus oculoque nudo vix conspiciendis ciliata, in dorso itaque margine pluribus, in facie raris. Umbella terminalis quinquefida sit ex radiis debilibus patenti simis ferreque cernuis, cum pedunculo centrali unifloro etiam cernuo. Radii bifidi in dichotomia quoque pedunculum continent. Involucra & involucella sunt ovato-lanceolata & acuta, caeterum foliis similia. Ex foliorum summorum axillis ramuli etiam exeunt breves bifidi & longique. Calyx campanulatus, pallide flavet, plusque albis pubescit, quinquedentatus denticulis emarginatis & acutis. Petala omnibus sunt quina, semirotunda, integra & lutea. Antherae globosae, didymae & subvirides, inhaerent filamentis pallidis & geniculatis. Germen est muricatum. Flores plerique dichotomiarum germine carent, propterea masculi & steriles. Capsulam, quam non vidi maturam, clarissimus Scopoli dicit verrucosam. Floret Aprili & ineunte Majo. Crescit circa Idriam. Ad latus flos sistitur auctus.

TABULA DECIMA QUINTA.

DIANTHUS VIRGINEUS. *Linn. syst. pag. 308.*
Tunica virginea. *Scop. carn. 1. p. 302.*

Specimina sicca & semina misit ex littorali Austriaco clarissimus Brufati amicus, quae, dum terere, altera tertio anno florentem protulere plantam in tabula exhibitam, a siccis speciminibus non discrepantem. Dupla breviorem postea habui ex Tyroli a clarissimo Schivereck. Tota planta glabra est. Radix perennis rufa & lignosa caules annuatim gignit plurimos, herbaceos, teretes, erectos, plus minus pedales, aut unifloros, aut ex alis supremis unum adhuc alternatim florem pedunculatum gerentes. Folia sunt linearia, acuminata, canaliculata, per microscopium ad oras denticulata, caulina opposita basique connata. Flores inodori. Calycis squamae quatuor, rotundato-acuminatae, breves, duae exteriores saepe ab interioribus remotae, nonnunquam ad illam distantiam, ut foliorum caulinorum speciem breviorum prae se ferant. Ipse calyx tubulosus breviterque quinquedentatus. Petalorum unguis albus; lamina rubra & crenulata, nullos ad faucem pilos gerens. Stamina & stylus albent. Capsula crassa rigida & ad apicem quadrivalvis continet semina plura nigra & plana, matura Augusto. Floret Junio & Julio.

TA-

TABULA DECIMA SEXTA.

ECHIUM ALTISSIMUM.

In Comitatu Hungariæ Nitriensi ad viam, quæ Posonio Schemnitzium itur, crescens inveni locis campestribus siccis, ubi Julio floret, semina ferens mense Augusto. Vivum habui, ut depingi poterit, a clarissimo Wenzl. Radix plerumque biennis, interdum ex caule decessi futura annotine, primo anno sola folia radicalia producit. Caulis erigitur, in sylvestri planta semper a me observatus unicus, teres, per maximam fere partem æqualiter floridus, a tribus ad quinque pedes altus; in culta (tunc sæpe multicaulis) etiam sex superans. Folia sunt lineari-lanceolata, acuta, saturate viridia, crassiuscula, integerrima, sessilia. Hæc utrinque & ad oras, caulis, bracteæ & calyces, pilis albis dense hispida sunt, vix tamen pungentia. Pedunculi communes axillares, secundi, multiflori & conjugati. In bracteis lanceolatis & acuminatis sessiles & solitarii. Corollæ infundibuliformis & perpetuo albæ tubus fere cylindricus et longitudine calycis. Limbus tubo brevior & patens, modo æqualissimus, modo obsolete subbilabiatus; divisus in quinque lacinias ovatas & obtusas. Filamenta alba & declinata corollam fere ad duplum superant. Antheræ cum tempore flavescunt. Stigmata bifidi extremitates sunt albidæ. Semina fusca, ovata, acuta, angulata & muricata. Tabula repræsentat eandem breviorem plantæ, ad sesquipedalem a radice distantiam abscissam. Altius etiam nascitur, si quis superiorem alterius depicti caulis partem ad sesquipedem ultra elongatam sibi fingat. Ad lævum latus racemus conjugatus, post flores defluxos ulterius jam evolutus; dein corolla lateraliter, eademque antice conspecta.

TABULA DECIMA SEPTIMA.

LONICERA CÆRULEA. *Linn. syst. p.* 166. *Scop. carn.* 1. *p.* 154.
Caprifolium foliis ovatis; bacca singulari, ovali, bilobo. *Hall. hist. helv. num.* 673.
Periclymenum rectum tertium. *Clus. hist. p.* 58.
Chamæcerasus montana, fructu singulari cæruleo. *Bauh. pin.* 451.

Planta hortensis depingitur, quæ sponte in montosis & subalpinis Carnioliæ, Styriæ & Tyrolis crescit. Culta hic vegete, florens Aprili & Maio ineunte, baccas suas tamen Majo maturans. Frutex multicaulis ramis glabris teretibus & ex fusco rubentibus, junioribus pilosis, adultis glaberrimis. Folia sunt opposita, breviter petiolata, ex ovato oblonga, obtusa, integerrima, venosa, subtus pallide virentia, & glabra. Hæc tamen in ramis novis atque junioribus ad oras, nervum dorsalem, petiolosque sunt ciliata, opposita jam in ipsis stipulas sive gemmas eas, subulatas, aculeiformes, molles, patentes, referentes cum summitatibus pallidis, adversus longiores. Petioli etiam horum foliorum connectuntur stipulis subrotundis ciliatisque. Pedunculi uniflori, solitarii, axillares, breves, teretes, glabri & oppositi nutant. Germen unicum, integrum, subrotundum, compressissimum, coronatum limbo exiguo gemelli quadridentato, fultum inter binas bracteas setaceas & pilosas. Corollæ geminæ, ochroleucæ, infundibuliformes, extus rarius pilosæ, basi gibbosæ, altera paulo breviore solo in idemtes germine, limbum induunt velut barbatum; cujus labium superius sæpe tamen bidentatum est, quadrique protrahens meditur sennæ adsedit labii inferioris, laciniis eas sublongius habentis. Filamenta inferne hirsuta, & antheræ donata oblongis flavis atque erectis, æquant longitudine petalum, cujus & ulus admittuntur. Stigma crassum. Bacca disseminatur persistentes vel subrotunda, saturate cærulea, similique rore perfusa albido, margine calycinis emarcida coronatus, ascendque ad latus crescente amplior, pulpam includit purpuream acidulamque. Semina elliptica ovata, plana, nitida & flavescentia.

TA-

TABULA DECIMA OCTAVA.

ARETIA ALPINA. *Linn. syst. p.* 151.
Aretia foliis ovatis, repandis; scapis unifloris. *Hall.* [illegible]. *helv. num.* 618 *t.* 11.

Summis in alpibus, stratis amplissimis, perquam copiose habitare solet, plantularum elegantissima. Initio Junii in supremis Folkartensium alpium jugis florentem legi. Alias itidem in principio mensis Julii in Fladnizensibus summitatibus circa Leitersteig, & quas jure scalares summitates dicas. Tum in excelso Winterthal; Eisenhut Carinthiaco [illegible] Styriaco, &c. Undique flore rubro, scapis jam exiguis, alias elatioribus; [illegible] in ipsa summitate Eisenhut prope pyramidem, e superimpositis temere lapidibus exstructam, flore niveo. Locis semper apricis gramineis. Dubius longiuscule mercham, unam an tres species statuerem? Non sola Halleri autoritas, quanquam maxima, ipsa me denique autopsia docuit, omnes tres ejusdem duntaxat esse speciei varietates. Nivea varietas media velut est inter rubram majorem & minimam; plerumque segmentis corollarum ipsa in apice crena minima incisis; sed tamen & petalis integris invenitur. In varietate rubra segmenta pleraque integra, quandoque tamen emarginata mixta; uti hæc omnia ex figuris videre licet. Folia quoque omnibus eadem, dempta magnitudine. Villi, licet minimi, & fere procumbentes, tamen & in foliis omnibus adsunt, nisi cum tempore & ætate plus minus evanescant. Id solum peculiare habet varietas nivea, quod annulo flavo faux coronetur. Sed etiam in rubra varietate faux saturatius rubet. Minimam rubram varietatem non adicci, quod sola parvitate differat, quam macriori solo tribuere queas. Radix perennis, utcunque gracilis, sub ipsa jam terra ramosissime caulifera, ita, ut ex una persæpe radice, nec ea maxima, ingens tamen caulium cespes terram late sternat. De caulibus nihil supra terram eminet præter aggregatas densissime & sediformes quidem foliorum patentium rosulas. Sunt vero caules sub terra seminalibus superiorum annorum foliis imbricatim vestiti. Folia sunt oblongo-ovata, aut oblonge lanceolata, sessilia, plana, integerrima, læte virentia, initio dense villosula, cum tempore supra fere glabriuscula; oris duntaxat villoso-ciliatis. Scapi modo ex rosularum centro, modo de lateribus caulis; nunc plures, alias pauciores; in minimis individuis altitudine duarum vel trium linearum, in maximis etiam pollicares; semper graciles admodum, ac in infantia etiam pube nonnulla subtilissima superinducti; rubri in varietatibus rubris, in albis virides; erecti cum apice subnutante, unifloris. Calyx tubuloso-semiquinquefidus, mitio villosulus; laciniis dorso carinatis, & acutiusculis. Tubus corollæ calyce brevior annulum cylindricum efformat. Sub fauce stamina insigniuntur quinque; quorum filamenta subulata, minima, alba. Antheræ oblongæ, flavæ. Limbus corollæ quinquepartitus, planus, fauce pervia; segmentis oblongo-subovatis, rotundatis, integris, cum minima quandoque crenula in apice excisa. Germen in fundo calycis sessile, primo depressiusculum, dein globosum, denique oblongo-ovatum. Stylus stamina attingens, virens. Stigma subcapitatum. Capsula unilocularis, polysperma, apice deliscens in valvulas quinque divergentes, intra calycem permanens. Odor plantæ rubus. [illegible].

TABULA DECIMA NONA.

INULA BUBONIUM.
Aster Bubonium. *Scop. carn.* 2. *pag.* 173. *tab.* 58.

Clarissimus V. Brusati plantam ipsam florentem, seminaque attulit ex littorali Austriaco, quæ sata primo jam anno flores dederunt. Icones ad ipsas plantas sylvestres pictæ fuere, alteram ramosam, caule simplici donatam alteram. Tota subodorata est, saporisque amari ac ingrati. Radix perennis, numerosis constat fibris crassis longisque, quæ ex capite

cum-

communi caules promunt plures erectos, sesquipedales, subteretes, foliosos, modo simplicissimos paucisque floribus pedunculatis terminatos, modo ex pluribus foliis ramulos simplices & axillares emittentes. Folia sunt lanceolata, acuta, sessilia, alterna, rigidula, denticulata, summa integerrima. Caulis, rami, & folia ad oras imprimis & nervum dorsalem villos habent, magis minusve conspicuos. Calycis glabri squamæ sunt subovatæ, infimæ foliaceæ, omnes (intimis acutioribus exceptis) squarrose ad apicem patentes. Corolla lutea. Ligulæ radii sunt acutæ & minutim tridenticulatæ. Antheræ setas generis habent. Semina linearia, fusca, striataque, pappo coronantur piloso, sessili, ad lentem villoso. Floret Augusto & Septembri.

TABULA VIGESIMA.

LILIUM CHALCEDONICUM. *Linn. syst. p. 240. Scop. carn. 1. p. 240.*
Lilium rubrum sive miniatum Byzantinum. *Clus. hist. p. 131.*
Lilium Byzantinum miniatum. ♃
Lilium Byzantinum miniatum polyanthos. ♃
Lilium purpureo-sanguineum, flore reflexo. *Bauh. pin. 78.*
Hemerocallis calcedonica. *Lev. ic. 169.*

Diversis annis, diversis in montibus inveni, plerumque uniflorum, etiam biflorum, rarius tri- & quadriflorum, semper in summitatibus prægrandium montium; Slanizæ aut Slivinzæ supra lacum Zischnizensem prope Planinam; Utozkæ inter Pillichgraz & Bischoflag; in vertice Loibl inter Carniolium & Carinthiam, si paulo supra interiorem columnam continalem in sylvulam diverteris; tum in alpibus Lithopolitanis supra SS. Primum & Felicianum. Et alibi. Bulbus profundus, oblongo-ovatus, constans a meris squamis carnosis, albis, lanceolatis, laxe imbricatis, & rectis, basi funiculorum modo demittens fibras teretes sordide ex albido fuscescentes. Caulis e centro bulbi erigitur ad duas supra terram spithamas, intra terram albus, duplici verticillo tibrillarum ex albo tandem nigrescentium coronatus; inde ad duos tresve pollices sanguinescens, & maculis saturatioribus variegatus; tum ad verticem usque viridis, & dense foliosus; cæterum firmus, teres, fractus, glaber. Folia dense per caulem sparsa, erecto-patentia, lanceolata, integra, sessilia, supra plana & nuda ac nitentia, subtus multinervia, nervis & oris per totam longitudinem albo-ciliatis. Flos superbe elegans, magnus, nutans, petalis sursum revolutis. Flores, dum plures, singuli pedunculati pedunculo basi aut supra basin bractea vel foliolo breviore stipato. Calyx nullus. Corolla hexapetala; petalis lanceolatis æqualibus, tribus interioribus, singulis aut miniatis aut aurantiacis (duplicis enim coloris inveni,) a basi ad medium in cylindrum conniventibus, inde ad apicem sursum revolutis; externa parte lævi & pallidiore, interna pagina vero saturatius colorata, basin versus canaliculata, inde ad apicem sulcis longitudinalibus exarata, carinulis carunculato-tuberculatis, tuberculis oblongis ex rubro vel aurantiaco tandem atris. Pubes sive tomentum fugax petalorum apices occupat, quo ante explicationem in cylindrum angulosum petala cohærent. Stamina sex corollis breviora, erecta, ex viridi lutescentia, subulata. Antheræ longæ, in medio staminibus affixæ, saturatius petalis ipsis coloratæ. Germen oblongum, obtuse hexagonum, basi strangulatum magis quam apice, læve. Stylus crassus, minus tamen quam germen; in cylindraceo magis magisque, tamen semper obtuse, trigonus, in stigma denique abiens obtusum, crassum, trigonum, ex luteo rubens. Capsula oblonga, turbinata, sulcis senis percursa, apice trifariam dehiscente, obtusissima, trilocularis. Semina copiosa, plana, orbiculata, extrorsum a sulco valvulæ seu parietis intrante excisa sive emarginata, coloris ferrugineo-brunnescentis. Odor fœtens, gravis, molestus, ut mirer, a Scopolio dici potuisse, aurantiaca olere. Floret Junio; in alpibus Julio; annis maturius calidis etiam Majo. W.

TABULA VIGESIMA PRIMA.

CARDAMINE RESEDIFOLIA. *Linn. syst. pag.* 812.
Cardamine foliis radicalibus petiolatis, ovatis; caulinis pinnatis obtusis. *Hall. hist. helv. num.* 476. β.
Nasturtium alpinum minus, resedæ folio. *Bocc. mus.* 2. *p.* 41. *t.* 36. *Bauh. prodr.* 45. *pin.* 104.

Frustra Hallerus, licet summus in omnibus, contendit cum bellidifolia Cardamine conjungendam esse. Rarius utraque, eadem in alpe, invenitur. Pinnata folia haudquaquam ætatis dumtaxat soboles dici possunt. Resedifolia, cui caule sit dimidii pollicis, semper foliis integris, trilobis, pinnatisque gaudet; quod in bellidifolia, nisi spithamam attingat, & jam semina perficiat, nusquam contingit. Praeterea resedifolia plerumque ramosissima est, licet parva admodum; cum tamen bellidifolia simplicissimum caulis non deserat. Radix in resedifolia longa, filiformis, ex albido subargillacea; licet utcunque tenuis, perennans tamen; oblique eum ad horizontem repens, apice multiceps; ex quovis capite, dum plura adsunt, multicaulis; caulibus persæpe radice ipsa brevioribus, plerumque ramosissimis, densissimis, vix unquam dimidiæ spithamæ altitudinem attingentibus, teretibus, subtilibus, levibus, imo nitentibus, ex viridi saepius atrocærulescentibus. Folia radicalia confertissima plurimaque, longe petiolata, subrotunda, ovata, obtusa, integerrima; basi ipsa, unde petiolus exit, frequenter nonnihil emarginata, ut subreniformia dici possint. Caulina inferiora, maxime quæ radici propiora sunt, itidem longe petiolata, [illegible] lyrato-hastata, nec aliter triloba; lobis planis, rotundis, extimo majore; superiora caulina petiolata, pinnata; jugis pinnarum plerumque duobus, rarius tribus, cum impare; pinnis linearibus, obtusis, integerrimis, extima impare oblongo-obovata. Ceterum folia omnia plana, levia, subnitentia, nonnihil firma. Racemi terminales. Flores singuli proprio pedicello donati, erecti. Calyx tetraphyllus; foliolis oblongo-ovatis, obtusis, concavis, corolla duplo brevioribus, cum pallido virore subcærulescentibus, tandem subflaventibus & deciduis. Corollæ niveæ, tetrapetalæ; petalis obovato-oblongis, integris, erecto-patentibus. Stamina tetradynamia, calycis longitudine. Filamenta subulata, alba. Antheræ flavæ. Germen oblongum, subcylindraceum, læve; stylo vix ullo; stigmate subcapitato, truncato, subflavescente. Siliqua fere pollicaris, linearis, plana, ex seminibus prominentibus torulosa, bilocularis, bivalvis; valvulis extus atrocærulescentibus nitentibus; dissepimento valvulis parallelo, utrinque protuberante. Semina copiosa, lentiformia, valvulis a basi sursum revolutis elastice ejecta. Odor plantæ nullus. Crescit perquam copiose, & floret initio Julii in apricis graminosis dumulosis summarum alpium Fladnizensium, Leiterstein, Winterthal, Eisenhut, tum & in summitate alpis Grünpichel Styriæ, item in Reichenau in alpe Gotton; nec non in Taurero Nassfeldensi. Ex alpib. W.

TABULA VIGESIMA SECUNDA.

GEUM REPTANS *Linn. syst. pag.* 352.
Geum foliis pinnatis, trilobatis, incisis; flagellis reptans. *Hall. hist. helv. num.* 1132.
Caryophyllata petræa major. *Gesn. ic. lign.* 137.
Caryophyllata alpina tenuifolia incana, flore luteo, longius radicata. *Barr. ic.* 400. *Bocc. mus. p.* 116. *t.* 128.
Caryophyllata alpina, apii folio. *Bauh. pin.* 322.

Picta icon & descriptio a reverendo Wulfen missæ fuerunt, qui abunde crescentem invenit florentemque mense Julio in abruptis præcipitiis summarum alpium Wincherthal &

[illegible]-

Eisenhut, tum etiam solo arenoso glareosi supremarum viarum cavarum Carinthiam inter & Styriam supra alpes Fladnizenses. Ex alpibus Carpaticis mihi clar. Lipp attulit, ex Tyrolensibus clar. Schwereck. Radix teres, flavens, multiceps, radiculis instructa, ac obvoluta exuviis semicalidis foliorum praeteritorum annorum; proferens simul copiam foliorum, scaporum, flagellorum repentium. Flagella longa, teretia, rubra, villis inspersa, per intervalla fibrillis terrae inradicata, nec foliis destituta, licet multo minoribus, continuisque tamen caulis, quae sive de radice, sive de scapis exeruntur. Folia radicalia omnia pinnata; axe communi pinnarum villoso, ex viridi tandem rubente; pinnis sessilibus, imbricatis, uniformibus, subcuneiformibus, tri-quadri-vel quinquefidis, supra nudis, subtus pilis villosis, tum etiam glanduliferis, & incanescentibus. Praeter has pinnas affixa tunc axi communi versus basin foliola sive pinnulae aliae, multo reliquis minores, simplices, ovato-acutiuscula, fere alternae, sessiles, a se invicem sejunctae. Scapi erecti, rubentes, teretes, villosi, duo aut tria folia spuria, sive potius bracteas, proferentes. Bracteae hae sunt alternae, sessiles, oblongae, subtus villosae, non tam pinnatae quam potius pinnato-dentatae, dentibus lineari-lanceolatis integris. Petiolus his nullus, sed eius loco bracteae sessilis inter stipulas binas amplas, ovato-lanceolatas, integras, subtus villosas. Flos in quolibet scapo major, terminalis, erectus, aureus. Calyx monophyllus, semi-decemfidus, seu in quinque lacinias lanceolatas, integras, alternas breviores, sic profunde divisus, coriaceus, extus saturate ex nigro ruber, villosus. Petala quinque ad octo, etiam dena, magna, aurea, staminibus elongata, calyce majora. Stamina calycina plurima longitudine calycis, una cum antheris aurea. Receptaculum in centro calycis sessile, erectum, oblongo-ovatum seu ellipsoideum, hirsutum, villis albidis. Germina sessilia, in capitulum collecta, plurima, ovata, dorso externo convexa, lateribus introrsum in centrum convergentia aut compressa, adeoque subtriquetra, hirsuta villo consimili. Stylus longissimus, lateri germinis ad apicem interius, a basi ad medium villosus villo albido sericeo, inde ad apicem nudus, flavens. Stigma simplex. Semina, qualia germina sunt, cum stylo persistente, in medio infracto, seu potius geniculato-aristata.

TABULA VIGESIMA TERTIA.

SAPONARIA OCYMOIDES. *Linn. syst. p. 307. Scop. carn. 2. p. 51.*
Saponaria caule decumbente, nodoso; foliis ovato-lanceolatis; calycibus cylindricis, hirsutis. *Hall. syst. helv. num. 909.*
Saponaria minor quibusdam. *Bauh. hist. 3. p. 344.*
Lychnis, vel ocymoides repens, montanum. *Bauh. pin. 206. Seg. ver. 1. p. 430.*
Ocymoides repens, polygonifolia. *Lob. ic. 341.*

Crescit copiose, & floret a Majo ad Augustum in Carinthiae valle Gilleni rora; in valle Canalensi; circa Leontium in Tyroli conterminis; Malborgetti versus Clausen in valle frigida; Pontebae in monte sancto Luschariensi. Delectatur solo duro arenoso umbroso silvarum. Odor nullus. Radix lenta, fusiformis; etiam ramosa; longa, repens, radiculis undique copiose crinibus instructa, cespitulum persaepe integrum suo e capite educit caulium. Hi vix spithamaei, procumbentes, ex dichotomiis paniculati, teretes, ex viridi rubentes, villosi, geniculorum aliquot. Folia ad geniculorum nodulos tantum, opposita, connato-sessilia, obovato-oblonga, obtusiuscula, in petiolum velut decurrentia, gramineo-virentia, integerrima, nuda, oris duntaxat basin versus ex pube ciliatis. Flores eo prorsus modo, quo in Silenis id fieri assolet, per dichotomias suspenduntur erecti, singuli pedicello brevi rubeo villoso fulsulti. Calyx in florescentia cylindricus, coriaceus, ruber, albido-villosus, quinquedentatus, persistens; in fructu obovato-clavatus. Petala quinque, quorum ungues albi, plani, longitudine calycis; lamina vero limbi patentis oblongo-subovata, integerri-

 ma,

na, supra pallide rosea, ac demum saturatius rubra, subtus albido-rubella. Faux cujusque petali denticulis binis parallelis ex albo rubentibus, haud aliter quam in Silenes specie aliqua. Stamina decem; filamentis albis, calycem nec petala excedentibus, alternis petalorum basi affixis paulo altioribus, alternis de receptaculo exortis brevioribus. Antheræ subcordatæ, cinereo-cærulescentes. Germen subpedunculatum intra calycem, cylindraceum, glabrum. Styli duo, albi, paralleli; stigmata simplicia. Capsula obovato-clavata, subquadrangula, unilocularis, quadrivalvis. Semina orbiculato-reniformia, columnæ quadrato-pyramidali in quatuor lateribus ex pedicellis minimis affixa. W.

TABULA VIGESIMA QUARTA.

TORDYLIUM NODOSUM. *Linn. syst. p.* 205.
Caucalis nodosa. *Scop. carn.* 1. *pag.* 192.
Caucalis nodosa, echinato semine. *Bauh. pin.* 153. *prodr.* 80. *hist.* 3. *p.* 83.

In Istria & littorali Austriaco spontanea hæc planta occurrit; quæ ex radice annua & gracilescente fusiformi unum vel plures caules promit erectiusculos vel inclinatos, parum ramosos, teretes, striatos, graciles, ad tactum nonnihil asperos, uti tota planta, nec tamen manifeste hirsutos. Folia sunt subbipinnata, circumscriptione oblonga; costa striata, antice sulcata, ad basin dilatato-membranacea; pinnulis laciniatis, acutis. Umbellæ florentes terminales & fere sessiles ad summa folia; quæ caule & ramis elongatis, nunc fructigeræ, conspiciuntur ad nodos oppositæ foliis, & longius nunc pedunculatæ. Ceterum sunt difformes; universales nullo involucro fulfultæ; particulares geminæ vel ternæ, donatæ foliolis involucri plusculis linearibus & acutis, flores densissime congestos gerentes. Flores sunt exigui, omnes fertiles. Germen magnum, oblongum, setis albis adscendentibus hispidum. Petala alba, ovata, apicem acutum inflexum habentia. Antheræ pallent. Semina hinc convexa & hispida pilis uncinatis, inde plana. Ad latus exhibentur flos auctus, semen utrinque spectatum in nativa magnitudine, & seminis aucti sectio transversa.

TABULA VIGESIMA QUINTA.

POTENTILLA NITIDA. *Linn. syst. pag.* 351. *Scop. it. tyr. p.* 52.
Heptaphyllum argenteum alpinum cutholiacum sabaudum. *Bocc. mus. p.* 20. *t.* 9.
Trifolium alpinum argenteum, persici flore. *Bauh. pin.* 328. *Pon. bald.* 222.
Comaroides alpina argentea sericea, persici flore. *Seg. ver.* 1. *p.* 497.

Julio copiosissime florentem in Carinthiæ alpe Villacensi inveni, ubi a casis pastoriciis descenditur versus Sanctum Spiritum. Item in elatissimis jugis Mittagskogl prope Malborgetto intra rupes & petras. Tum in summis alpibus Pontebanis Trögl; in editissimis Tyrolensibus alpibus Leontinis. Et alibi. Cespites amplissimi ex una eademque radice perenni oriuntur. Caules plurimi, erecti & semiprocumbentes, unum aut semialterum pollicem alti, teretes, una cum foliis & calyce tomentosi ex villo seu densa prostrataque pube albo-sericea & glaucescente. Folia radicalia plurima, semper præcise ternata. Foliola obovata, nonnunquam etiam oblongo-ovata, acutiuscula, subsessilia in apice petioli communis, plana, utrinque æqualiter sericeo-tomentosa, plerumque apice tridentata, denticulis antice incisis & conniventibus, persæpe tamen etiam per oram superiorem dentata, denticulis pluribus. Folia caulina inferiora radicalibus similia; petiolo basi stipulis binis ovato-acuminatis integris & ipsis tomentosis cincto. Superiora brevissime petiolata, ternata tamen cum petiolo stipulis breviore; foliolis una cum stipulis lanceolatis, integris. Folium supremum nonnunquam

dan-

simplex, ovato-acutum, sessile, integrum. Stipulae foliorum radicalium ovato-acuminatae, integrae. Videtur itaque Linnaeus stipulas confudisse cum foliolis, qui folia quinata huic Potentillae tribuit. Flos in caule quovis unicus, terminalis, magnus, speciosus; rarius enim sub apice flos alter accurrit. Calyx subcoriaceus, decemfidus; segmentis lanceolatis, alternis brevioribus angustioribusque, supra saltem saturate rubris, subtus semper colore & tomento foliorum. Petala quinque, subcordata propter emarginaturam non admodum magnam, colore florum persicae amoenissime rosea, ampla. Stamina plurima, calycina, saturate rubra. Antherae rubrae cum polline aureo. Receptaculum villosum. Germina copiosa, ovata, sessilia, rubra, sed villo albo sericeo nitente vestita. Stylus nudus, saturate ruber. Stigma simplex. Odor nullus. W.

TABULA VIGESIMA SEXTA.

PRIMULA GLUTINOSA

Auricula ursi septima. *Clus. hist. pag. 304.*

Auricula ursi octava. *Clus. cur. post. pag. 31.*

Auricula ursi montana, angustis, & leviter crenatis foliis, floribus purpureis, in horto Patavino collecta. *Pluk. alm. 62. t. 249. f. 6.*

Per plures jam annos plantulam hanc ex alpibus Tyrolensibus vivam accepi, etiam integros cespites, in quibus maxima cum primula minima, & copiosa crescebat, ut centena haberem specimina; sed quantumvis haec in principio vegetarent cultae, nulla plantula unquam floruit; nec floruit ulla. Iconem hinc ex Carinthia reverendus de Wulfen misit, & ad sylvestrem non minus convinentem, quae sequitur, descriptionem. Folia radicalia numerosa, plurima, lineari-lanceolata, obtusiuscula, serrata, nuda, fere pulposa, viscosa, olacea, minus tamen quam flores. Scapus pollicaris aut triplo altior, erectus, nudus, teretiusculus, e viridi tamen rufo-subcaerulescens, apice multiflora florum terminatus, primum albumine, ex floribus quinque, sex vel septem, subsessilibus & subsecundis. Involucrum universale, tubum corollarum aequans, fit ex foliolis quatuor, quinque vel sex, inaequalibus, oblongo-ovatis, obtusiusculis, subcoriaceis, integris, nudis, subringatis, fuliginosis, e viridi atropurpurascentibus. Calyx campanulatus, obovatus, subventricosus, rugosulus, tubo corollae brevior, subcoriaceus, extrorsum nudus, virens, quinquedentatus; laciniis integris, rotundatis. Corolla infundibuliformis; tubo cylindrico, albo; limbo quinquepartito, erecto-patente, saturate violaceo, segmentis obcordatis. Faux pervia, albida, & fere aquose luteola. Filamenta quinque, minima, alba, interne tubi parieti sub fauce inserta. Antherae oblongae, acutae, flavae. Germen globosum, glabrum. Stylus longitudine tubi corollae, albicans, sub stigmate subcaerulescens. Stigma capitatum, dilute subluteolum. Capsula globosa, unilocularis, polysperma. Odor floris & foliorum amoenus, fere is, qui in orchide conopsea aut odoratissima est. Vulgo in alpibus vocatur Blauer Jochspeik, quasi dicas caeruleam spicam celticam. Maxima in copia mense Julio invenitur per alpes Carinthiacas, & Leonenas Tyrolenses. In Melbinger alpen districtus Gmündensis inter inferiorem & superiorem lacum, ac si studio seminata fuisset. In apricis gramineis alpium Falkartensium supra Klein Kirchaim paulo supra lacum. In alpibus Fladnizensibus auf den Leitersteig. In Tauero Nassfeldensi. In alpibus Spitalensibus bey den drey Gerachen Seen. In rupestribus Heseckeralpen auf den Reichenaueralpen. In Taureris versus statum Salisburgensem. Et alibi.

TABULA VIGESIMA SEPTIMA.

PRIMULA VILLOSA.

Primula *foliis ciliatis, dentatis; scapo paucifloro.* *Hall. hist. helv. num.* 613.
Auricula ursi tertia. *Clus. hist. pag.* 303.

Copiosissime in alpibus Reichenau Garten dictis; item in supremis rupibus alpium Falcrensium; in rupibus Leiersteig alpium Vindobonensium; in rupibus alpium Winterthal & Eisenhut; abunde etiam in alpibus Leontinis, ubi color saepe saturatius violaceus & fauces luteae sunt. Floret initio Julii, & vix ad finem usque mensis. Radix crassiuscula, saepe satis longa, inter rupes fortiter flexa, versus caput petiolis foliorum antiquorum semitobidis induta, radiculas albas agens. Folia radicalia rantum adsunt, in rosam copiosam effusa, oblongo-ovalia, in petiolum velut decurrentia planum, crassula, undique villosula, saturo graminis virore, obtusiuscula, oris anterioribus obtuse serratis. Scapus ab uno pollice ad dimidium spithamam altus, teres, villosulus, apice umbellifer. Involucri universalis foliola ovata, obtusa, erecta, parva, villosula, a tribus ad septem. Flores in umbella a duobus ad duodecim. Pedicelli plus minus longi, inaequales, teretes, villosuli, in individuis prolis saepe brevissimi. Calyx ovato-campanulatus, quinquefidus, villosulus; laciniis rotundatis, obtusis, aequalibus. Corolla elegans, infundibuliformis; tubo cylindrico, albo, tandem sub limbo caerulescente, subtilissime villosulo; limbo quinquepartito, erecto-patente, vulgariter dilute caeruleo, alias magis violaceo: fauce albo. Segmenta sunt obcordata. Stamina quinque, alba, brevissima, subulata. Antherae oblongae, acutae, flavae. Germen globosum. Stylus stamina attingens. Stigma capitatum. Odor suavissimus. Farina nulla est in tota planta. W.

TABULA VIGESIMA OCTAVA.

GENTIANA PUNCTATA. *Linn. syst. pag.* 199.
Gentiana *foliis ovato-lanceolatis, nervosis; floribus campaniformibus, fasciculatis, creberrime punctatis.* *Hall. hist. helv. num.* 639.
Gentiana maior pallido flore, punctis distincto. *Clus. hist. p.* 312.
Gentiana maior, flore punctato. *Bauh. pin.* 187.

Nec eadem est, nec eadem sede moratur cum Gentiana pannonica Jacquini, altiorum longe alpium incola. Exeunte Julio flores aperit, Augusto late florens. In Spitalensibus alpibus, postquam ultra base Nase versus Parnitraner See processeris, & prata declivia aprica, vulgo die Scallen attigeris. In Tauerco Mahiacensi in parte Austriaca, maxima in copia. In alpibus Reichenavie supra sacellum Laurentium, vulgo Garten. In alpibus Fladnitzensibus, ubi ex Eisenhut & Winterthal versus mapalia pastorum & ovium vaccarumque greges descenditur. In declivitatibus infra alpem Grünspital Styriae. In alpa Wexel & alibi. In multis cum Gentiana pannonica convenit; in sequentibus propriis diversa. Folia magis ovata, minus elongata, strictiora. Calyces humiliores, magis pelviformes. Dentes calycini multo angustiores, acutiores, minus foliacei. Corolla velut papyracea, subtilissima, coloris triste & pallidissime ex virore stramineo, punctis creberrimis minimis inordinate sparsis. Laciniae limbi plerumque septem, etiam octo, rarius tantum sex; ac semper breviores, minus latae, contiguae, rotundatae, obtusae, nullis in basi auriculis. Denique ventricositas corollarum absolutior & fere eadem per totam campanam. Caeterum est descriptio ejus sequens. Radix perennis, crassa, fusiformis, horizontaliter obliqua, unam duasve spithamas longa, simplex aut ramosa, caput versus novas foliorum caulisque futuri anni gemmas efformans, intus flava & insignis amaroris. Folia radicalia & caulina, qualia in pannonica cum exceptione indicata. Nervi paginae inferioris non quinque solum, verum etiam quandoque septem, & initio etiam ex caeruleo atri esse solent, donec aetate dilati virides & aequali fiant. Caulis ad duas fere usque spithamas assurgit, erectus, teres, alternatim tamen

per

per genicula velut anceps, ex communi foliorum oppositorum, ubi connascuntur, ora, per totum geniculum decurrente, ex quo humilis admodum carina protuberans enascitur. Solet in specie haec, floribus adhuc dum immaturis & clausis, caulis in superioribus totus esse ex cæruleo ater & nitens; sed cum tempore magis magisque virescit. Flores verticillati, in duobus aut tribus, rarissime quatuor verticillis, fere quadrifloris singulis, extimis plerumque magis multifloris. Bifloros etiam vidi, ut aptius tunc flores oppositi, quam verticillati dicantur. Bracteæ foliorum æmulæ, tam communes, quæ verticillos fulciunt, quam quæ nonnunquam proprio cuique flori subjectæ sunt. Flores singuli pedicello brevi & crassiusculo insident, suntque erecti, fere breviores quam in pannonica. Calyx campanulato-pelviformis, leviter hexagonus vel pentagonus, membranaceus, primum ex cælestino albens, tum ex albido sublutescens; limbo in dentes a quinque ad octo, inæquales, lanceolato-subulatos vel lineari-lanceolatos, ex cæruleo virescentes, diviso. Corolla magna; clausa dum est, extus ex nigro cærulescens; dein matura in pallidissime stramineum colorem abiens; utcunque cylindraceo-campaniformis, ventricosa, fauce tantillo contractior, papyracea tenuitatis, nitore carens, totaque undique extus & intus punctis obscure atropurpureis minutis inordinate sparsis variegata. Limbus a sex ad novemfidus; laciniis contiguis, ovato-rotundatis, obtusis, integerrimis. Stamina a sex ad novem, ex candido albida. Antheræ longæ, flavæ, circa germen in cylindrum aut potius pyramidem leviter cohærentes. Germen basi gibbos a quinque ad septem prostantes possidet, inde triangulatum aliquatenus, donec oblongo-ellipsoideum cum longiusculo collo, styli vices agente, reddatur, læve, virescens, linea longitudinali, punctisque ex cæruleo purpureis variegatum. Stigmata duo, orbiculata, divaricata, deorsum incurva. Capsula unilocularis, bivalvis, polysperma; seminibus lentiformibus, per oras parumper alatis. Odor nullus. W.

TABULA VIGESIMA NONA.

GENTIANA CAMPANULATA.

Gentiana alpina major, floribus flavis, punctis carentibus, campanulæ forma, ex Pyrenæis. *Bauh. pin.* 187.

Autorum, qui venustam hanc alpinam nostratum stirpem descripserit, novi neminem, præter Casparum Bauhinum, qui, loco citato, illius mentionem fecisse videtur, sed plantæ dumtaxat siccæ, ab alio lectæ, scilicet a Bursero, ut credidit Linnæus in Speciebus suis pag. 329, qui varietatem Gentianæ purpureæ credit; adeo ut Bursero minime potuit inventionis gloria. Crescit in alpe Carinthiæ, Gamsi dicta, in Reichenau, mense Julio florens. Radix perennis, qualis in punctata & pannonica, extus flava, amarissima, fusiformis, teres, oblique horizontaliter descendens, in ramos divisa; annis singulis novos, caput versus, foliorum gemmas formans, &c. Folia tam radicalia quam caulina, quin & bracteæ verticillorum, ad pannonicæ formam accedunt, tota mollia, crassiuscula, ex glabritie velut unctuosa, ovato-lanceolata, in acumen longius, quam in punctata, excurrentia. Nervi foliorum in pagina inferiore extantes quinque vel septem. Caulis lævis, farctus, ex atrocæruleo tandem viridis, erectus, ad spithamas duas adscendens, teres, alterne tamen per singula genicula nonnihil anceps. Verticilli florum bini vel tres. Flores fere sessiles, in quavis axilla ab uno ad tres, extimo verticillo de more pluribus floribus onusto. Calyx humilem & pelviformem refert campanulam subheptagonam, membranaceam, albidam, cælestino cæruleo versus angulos translucente; limbo hiante & septemfido; denticulis brevibus, lanceolatis, obtusis, integris, planis, viridibus, foliaceis. Corolla magna, sulphurea (coloris gummi guttæ,) tota nitens quasi lævigata foret, striata longitudinaliter, externum immaculata, nullis punctis variegata, campanulata, basin versus fere ventricosior ac velut sphæroidea, inde cylindracea; limbo septemfido; segmentis æqualibus, erectis, contiguis, ob-

 ob-

rase triangularibus, integerrimis. Stamina ex corollæ interno pariete enata, similia Gentianæ punctatæ; filamentis albo subluteſcentibus, antheris flavis longisque. Germen etiam simile, lineis quidem longitudinali utrinque atroceruleo pictis, nullis tamen paullo variegatum. Stigmata & capsula ut in eadem. Odor etiam nullus. W.

TABULA TRIGESIMA.

ANTHEMIS ALPINA. *Linn. syst. pag.* 565.
Chamæmelum alpinum saxatile perenne, flore albo singulari, calyce nigricante, Michelii. *Till. hort. pis.* 38. *tab.* 19. *f.* 1. *Seg. ver.* 3. *p.* 282.

Radix lignescens, composita, fibroso-ramosa, multos caules effert spithamæos, ex viridi rubentes, striatos, erectos, villosos, unifloros, (semel bifloram inveni). Folia sunt subbipinnata. Radicalia copiosa, pinnata; pinnis linearibus, angustis, superioribus pinnato-dentatis; denticulis ipsis etiam linearibus. Caulina alterna cum pinnis nonnullis bifidis trifidisve. Cæterum sunt omnia læte virentia, nonnunquam prorsus nuda, alias villosula. Flos magnus, terminalis. Calyx hemisphæricus; squamis imbricatis aliquot ordinum, ovato-lanceolatis, obtusis, virentibus cum oris nigris, subvillosis vel nullis. Receptaculum conicum, paleaceum, paleis planis obtusis & per oras nigris. Corollæ radius femineus ligulatus; ligulis oblongo-obovatis, albis, striatis, planis, apice obtuse tridentatis. Corollulæ disci tubulosæ, quinquedentatæ, albæ. Antheræ flavæ. Semina pappo carent. Odor nullus. Crescit abunde in montibus & alpibus prope Leontium. Floret Julio & Augusto. W.

TABULA TRIGESIMA PRIMA.

SAXIFRAGA ASPERA. *Linn. syst. pag.* 304. *Ger. gallopr. p.* 423.
Saxifraga sedi foliis crenatis asperis. *Scheuchz. it.* 2. *p.* 140. *t.* 20. *f.* 3.
Sedum alpinum foliis crenatis asperis. *Bauh. prodr.* 132. *pin* 284. *Gem. pag.* 22 *num.* 27.* *tab.* 6.
Sedum alpinum, hispidum, fere spinosum, flore pallido. *Bauh. hist.* 3. *p.* 695. *Moris. hist.* 3. *p.* 479. *s.* 12. *t.* 10. *f.* 25.

Cæspites persæpe magni, densi, terræ musciquo magnam partem libere induunt, de rupestribus asperis humidis umbrosisque locis pendulis, ac sarmentis longis repentes. Sarmenta dico stolones liberos, prostratos, terræ iterum plerumque per intervalla irradicatos, rubros, leviusculos, tenues, teretes, lentos, non tamen absque ruptilitate quadam. Sparsæ per hæc sarmenta occurrunt in majore aut minore copia rosulæ subglobosæ foliorum & sessiles, veluti totidem capitula exigui cujusdam cardui; foliis imbricato-ovato-acuminatis, conniventibus, duriusculis, nudis, per oras subspinoso-ciliatis. Caules de centro annotinarum rosularum enati, simplices, tri-vel quadripollicares, basi procumbentes, inde erecti, teretes, graciles, primum pubentes, dein glabri, folioli, apicem versus ramuli sive racemosi; pedunculis a tribus ad quinque, unifloris, axillaribus ex bracteis subspinose ciliata. Folia caulina sessilia, lineari-lanceolata, plana, nuda, ex viridi lutescentia, per oras subspinoso-ciliata; ciliis albis, molliter rigidulis. Rosulæ subglobosæ foliorum, in axillis infimorum foliorum sessiles, propagines novas efficiunt. Flores ante explicationem globosi, nutantes. Calyx inferus, quinquepartitus; foliolis ovato-acutis, initio subvillosulis, corolla duplo brevioribus, per oras albidis, exterius dilute virentibus, cum aquose luteolis. Corolla alba, non nivea, concavo-patens, pentapetala; petalis rotundo-ovatis, integerrimis,

nis, basi interna notatis macula magna, pallide flava, quæ si prope aut per microscopium inspiciatur, congeries est punctulorum multorum flavescentium. Stamina decem ex basi receptaculi sub germine orta, subulata, alba, calyce nec corolla longiora, alternis paulo brevioribus. Antheræ aurantiacæ. Germen in fundo calycis sessile, ovato-acuminatum, apice bifidum, nudum. Styli vix ulli præter acumina bina conniventia. Stigmata simplicia, obtusiuscula. Capsula erecta, oblonga, bilocularis, birostris, rostris divaricatis, polysperma. Odor nullus. Crescit locis asperis rupestribus umbrosis & fere silvaticis, ubi aquæ per saxa largius destillant. In sylva, quotquot ad castellum & fanum sancti Josephi in Pladnia veniatur. Tum in valle rupestri, per quam torrens Nassfeldensis iteratis saltibus sese præcipitat trans Taurerum Malnitzensem. Item in alpibus Spitalensibus, Reichenavicensibus &c. W.

TABULA TRIGESIMA SECUNDA.

FRITILLARIA MELEAGRIS. *Linn. syst. pag. 241. Syst. veg. ... 1. p. 241.*
Fritillaria caule pauciflato; foliis caulinis gramineis, alternis. *Hall. hist. helv. num. 1235.*
Fritillaria. *Clus. hist. pag. 152.*
Meleagris. *Rondel. spec. pag. 147.*

Labaci in Carniolia, maxima in copia, a medio Martii usque ad medium vel finem Aprilis; in sylva urbica (Stadtwald), & in palustribus secus flumen Labacum, idque usque Hyperlaacum vidi. Bulbus radicis, majoris avellanæ magnitudine, solidus, albus, subglobosus, gibbus, velut e pluribus constans; nec squamosus, ut in liliis; nec tunicatus, ut in aliis; verum tectus thecæ sphæricæ, carnosæ, subpulposæ, obsolete albidæ, ex cujus basi capillitium fibrarum aut radicularum descendit. Caulis spithama altior, teres, tectus, levis, ex viridi rubescens, & nonnunquam etiam maculis, aut punctis roseo-fuscis, variegatus. Folia quinque vel sex, caulina duntaxat, ea alterna, sessilia, basi supra canaliculata, ac velut caulem amplexantia, & vaginantia, cæterum lineari-lanceolata, crispo-ficantia, levia, ex viridi subglaucescentia. Flos in caule unicus, (nec plures inter centenos vidi,) terminalis, pendulus, primum obverse pyriformis aut potius ovato-pyramidatus, tum campanulatus. Calyx nullus. Corolla magna; petala sex, æqualia, lanceolato-ovata, integerrima; alternis interioribus. Sunt autem speciosissime variegata ex sericeis maculis subquadratis, alternatim rubris albidisque sive aquose luteolis, apice ex virore flavescente & calescente. Nam istic in petalorum fundo speciosam illam Coronæ imperialis hemisphæricam & lacrymantem quæras foveam; adest character generis, sed obscurior, in canalem lanceolatum ad unam tertiam petali supra basin internam excavatus, sordide lutescens, & madens, per oras ater; & huic in externa petalorum pagina respondens gibbus flavescens. Stamina sex, petalis humiliora; filamentis subulatis, albidis, ultra germen elatis. Antheræ oblongæ, quadrangulæ, polline flavo, apice virescente instructæ. Germen erectum, luteo-virens, trigono-prismaticum. Stylus erectus, in stigmata tria æqualia divergentia profunde divisus, quæ in superficie secundum totam longitudinem sulco tenui sunt canaliculata. Odor nullus. W.

TABULA TRIGESIMA TERTIA.

ACHILLÆA MOSCHATA.
Achillæa foliis pinnatis; pinnis simplicibus, glabris, punctatis. *Hall. hist. helv. num. 112.*
Iva moschata. *Gesn. epist. 66.*
Tanacetum alpinum. *Bauh. pin. 132.*

Radix subligneſcens & ſuli ipſa jam terra ceſpitoſe caulifera. Caules erecti & incurvi, multi ex eadem radice, vix dimidiam ſpithamam excedentes, modo glabri, modo tomentoſuli, apice elegantem florum umbellam ſuſtinent. Folia tam radicalia quam caulina pinnata, plerumque glabra; ſed etiam tomentoſula, præſertim in prima ætate; nonnihil pulpoſa, microſcopio etiam poruloſa. Pinnæ lineares, anguſtæ, planæ, acutæ, ſimplices, radicalium tamen foliorum nonnullæ bi- vel trifidæ cum laciniis acutis & linearibus. Folia caulina ſuprema ſeſſilia, lanceolata, pinnatifide incisa, acuta. Umbella florum terminalis, floribus pedunculatis. Calyx oblongo-ovatus; ſquamis plurium ordinum imbricatis, oblongo-ſubovatis, obtuſiuſculis, medio viridibus, per oras fuſcis aut nigris, ſubtomentoſis. In corollæ radio a quinque ad octo locantur fœminæ ligulatæ, albæ, ſtriatæ, obovatæ, obtuſiſſime trifidæ, patentes. Corollulæ diſci tubuloſæ, quinquedentatæ, æquales, albæ. Columna antherarum flava. Receptaculum anguſte conicum, paleaceum; paleis lanceolatis, apice ſubdentatis, planis. Semina nuda, obverſe tetragono-pyramidalia, pappo nullo. Planta tota aromatica odorata. Copiuſa in altiſſimis Leontinis alpibus occurrit. Floret Julio & Auguſto. W.

TABULA TRIGESIMA QUARTA.

ARTEMISIA SPICATA.

Artemiſia foliis ſericeis; radicalibus petiolatis, pinnatis, inciſis; caulinis ſemipinnatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 127.

Abſinthium alpinum ſpicatum; foliis petiolatis, bis trifidis; caulinis pinnatis. *Alſion. ped.* 1. *p.* 3. *t.* 1. *f.* 2.

Abſinthium pumilum palmatum minus, argenteo ſericeoque folio. *Bocc. muſ.* 2. *p.* 1. *pag.* 81. *tab.* 71. *Barr. rar. tab.* 462.

Ab Artemiſia rupeſtri, quacum Linnæus tanquam varietatem confundit, diverſiſſima planta. Radix liqueſcens, fuſiformis, fibras funiculorum inſtar emittit. Flores a capite educit caules, vix ſpithamæ altitudine. Hi baſi nonnunquam proſtrambunt, inde erecti, teretiuſculi, una cum foliis & calveibus tamento ſericeo brevi & ex viridi cinerascente obtiti. Folia radicalia multa, longe petiolata, bicernata; laciniis ſeu lobis planis, oblongis, obtuſis. Caulina ſeſſilia, lanceolata, pinnatifide incisa, laciniis linearibus. Flores in ſpicam longam & fere compactam, maxime apicem verſus, diſpoſiti, axillares, ſubſeſſiles, alterni, lolitarii. Calyx ovatus, ſquamis ordinum aliquot imbricatis, conniventibus, ovato-lanceolatis, e viridi obſcure cinereis, per oras fuſcis vel nigris. Receptaculum nudum. Floſculi flavi, plerique hermaphroditæ, atque hi corollulis tubuloſo-quinquedentatis. Fœminei nonnulli in circumferentia tenuiſſimi, ſolo tubo absque limbo dentato conſtantes. Antheræ & ſtyli flavent. Semina inverſe pyramidata, nuda, ſine pappo. Odor plantæ gratus, aromaticus, potens. Creſcit in ſupremis rupibus alpium Leontinarum, florens Julio & Auguſto. W.

TABULA TRIGESIMA QUINTA.

ARTEMISIA GLACIALIS. *Linn. ſyſt. pag.* 542.

Apſinthium ex alis floridum; foliis anguſtis, ſericeis, pinnatis; pinnis trifidis & quinquefidis. *Hall. hiſt. helv. num.* 126.

Apſinthium foliis ſericeis, petiolatis, pinnatis; pinnulis trifidis & quinquefidis. *Hall. hiſt. helv. num.* 125.

Ab-

Absinthium alpinum incanum. *Bauh. prodr. 71. pin. 139.*
Absinthium alpinum candidum humile. *Bauh. pin. 139. Allion. ped. p. 5. t. 1. f. 3.*
Absinthium sericeum montanum candidum. *Scheuchz. it. alp. 1. p. 29. t. 3. f. 1.*

Citatam apud modo nominatos omnes auctores plantam pro una eademque specie habeo: ubi monere tamen oportet, clarissimos Mygindium & Jacquinum, quibuscum super illa multum denique disserui, cum Hallero eamdem sentire, & distinguere Halleri Absinthium num. 126., quod pro mea habent, ab ejusdem Absinthio num. 125., quod esset, (nec mea) Artemisia glacialis Linnæi. Crescit copiose & floret Julio & Augusto in summitate Koralpen; in Reichenau inter fontem Laurentium & alpes Fladnizenses; item abunde in alpibus Lavantinis. Radix fusiformis, radiculis brevissimis longiusculis instructa, equidem non admodum crassa, imo nonnunquam fat gracilis; ex capite tamen in plurimas persæpe divisa caules laxum cæspitem efficit. Folia radicalia quam plurima, longe petiolata, petiolo basi vaginante; apicem versus subbipinnata, seu pinnata, pinnis una parte a duobus ad quatuor communiter, pinnis palmato-multifidis, profunde incisis, laciniis linearibus, angustis. Folia caulina alterna, remota, longe petiolata, petiolo planiusculo, apice pinnata in inferioribus, in superioribus vero palmata, laciniis linearibus angustisque. Caulis teretiusculus, ex semiprocumbente basi adscendens, spithamæus. Folia, caulis, & calyx, sericeo-tomentosi, tomento in novella planta ex viridi cano, in adulta autem albo. Flores in quibusdam caulibus nulli, nisi in vertice tres quatuorve contigui & subsessiles; in plerisque solitarii, folitarii, pedunculati, ab invicem remoti, erecti, majusculi, subglobosi. Pedunculus folio succedente brevior. Calyx squamis dictarum undique imbricatus quidem, sed inæqualibus; hæc vix imbricatio detegitur nisi squamæ separentur cultello. Squamæ ipsæ lineari-lanceolatæ, interius concavæ, sed & dorso longitudinaliter convexa, margine toto ex rufo fuscescente, quamvis propter tomentum sub apice cinerea videantur. Receptaculum villosum villis candidis. Flosculi calyce parumper longiores, citrini, pleriqui hermaphroditæ, tubulosi, quinquedenticulati, pauciores in ambitu feminei angustiores tubulosi. Styli & stamina de more generis. Semina parva, oblonga, turbinata, & fere inverse pyramidata, nuda. Odor plantæ aromaticus, gratus, potens. W.

TABULA TRIGESIMA SEXTA.

CROCUS VERNUS. *Linn. syst. p. 75. Scop. carn. 1. p. 39.*
Crocus tuba brevissime trifida. *Hall. hist. helv. num. 1257.*
Crocum vernum latifolium cum varietatibus suis. *Clus. hist. p. 203. & aliorum autorum.*

Circa Goritiam undique maxima in copia, jam Februario floret, coloris vulgo nivei aut violacei, nonnunquam ex rubro violacei. Solet etiam varietas alba extus, ubi tubus corollæ ad faucem dilatatur, plus minus, saltem per strias, cærulescere. Circa Labacum in Carniolia copiose Martio & Aprili. In Carinthia prope Clagenfurtum in fine Martii & Aprili in summitate montis Radsberg copiose flore albo cæruleo. Item in monte Sancti Udalrici supra silvas, ubi prata alpina incipiunt, copiosissimus. Circa Maria Flende. Circa Gurk pertrequens, vulgo violaceus &c. Linnæus cum sativo autumnali confundit; ego semper pro diversa habebo specie. Alter præcise autumnalis; hic vernus duntaxat. Hujus stigma infundibuliforme, trifidum, laciniis brevissimis, obovatis, planis, dentatis, saturum. Illius aromaticum; laciniis rubris, longis, &c. Iste sativus, non autem ille. Sed & in bulbis diversus, ut conferenti figuram nostram cum Dodonæana clarum est: nam in sativo bulbus superior multo major est inferiore, ubi contrarium in verno obtinet. Vide figuram croci sativi autumnalis florentis apud Matthiolum. Croco verno pro radice est bulbus velut

duplicatus, majoris avellanae magnitudine, solidus, albus, subsphaeroideus, inferiore duplo majore, involutus extus thecis squamaeformibus, fusco-argillaceis, basi capillitio cujusdam radicularum fibrosarum coloris pariter fusco-argillacei. Ex centro aut apice potius pulvilli bulbi superioris scapus erigitur fere pollicaris, albus, triqueter, solidus, cui corolla, & in fundo corollae germen insidet. Corolla longissima, bipollicaris; tubo longo, tereti, fauces versus latescente; limbo sexpartito, primum erecto, tandem erecto-patente; segmentis aequalibus, oblongo-ovalibus, integris, ternis, alterne interioribus. Stamina tria, insidentia alternis segmentis corollae; filamentis albis; antheris elongato-sagittatis, aurantiacis. Germen in fundo tubi corollae, oblongum, obtuse triquetro-ellipsoidicum; stylo longissimo, corollam aequante, albo, sub stigmate flammeo-aurantiaco. Stigma infundibuliforme, tripartitum; segmentis planis, brevibus, obovatis, serratis, flammeo-aurantiacis. Pericarpium oblongum, ellipsoidicum, obtuse trigonum, triloculare. Semina multa, ovata. Folia tantum radicalia, a duobus ad quatuor, floris altitudine aut longiora, graminea, angusta, nuda, integra, laete viridia, supra canaliculata lineaque nivea secundum totam longitudinem picta, subtus carinata, carina extante plana. Apprime haec flori solent spathis vaginantibus, obtusis albentibus, ternis, quandoque quaternis; ut nesciam, cur Linnaeus dixerit *spatham unicam radicalem*? Odor nullus. W.

TABULA TRIGESIMA SEPTIMA.

SCANDIX ODORATA. *Linn. syst. pag.* 213.
Myrrhis odorata. *Scop. carn.* 1. *pag.* 207.
Myrrhis foliis triplicato-pinnatis, mollibus; seminibus sulcatis, maximis. *Hall. hist. helv. num.* 753.
Myrrhis major, Cicutaria odorata. *Bauh. pin.* 160.
Odorata. *Riv. pent. tab.* 56.

Crescit in alpibus Carnioliae & vicinarum provinciarum. Radix perennis, saepe difformis & maxima, tunc ex variis locis multicaulis, dulcis, aromatica, & odore pollens, uti tota planta, in qua aliquid de Cerefolio & Anisi esse videtur. Caulis bipedalis, fistulosus, lineato-striatus, villosulus, patenti ramosus. Folia sunt multiplicato-pinnata, ampla, mollia, subtus ad lentem sericeo-villosula, plana, circumscriptione triangularia; costa tereti, ad basin vaginante & striata; pinnulis ultimis ovatis vel oblongis, inciso-serratis, inque foliolum longe lanceolatum acutumque subconfluentibus. Umbella universalis planiuscula componitur ex radiis circiter quindenis, involucro destituta. Partialis est similis, sed involucro gaudet pentaphyllo ex foliolis lanceolatis, setaceo-acuminatis, pallidis, patentissimis, longitudine umbellulae. Flosculi plerique sunt mares; pauci hermaphroditi & fertiles in centro. Petala inflexo-cordata, patentissima, alba, extima umbellularum majora. Radii in fructu eriguntur omnes. Semina linearia, longa, fusca, nitida, acuminata, hinc plana, illinc acute pentagona & quinquesulcata. Floret Junio. Culta in horto jam Majo. In tabula sistuntur pars caulis superior; pars radicis, quae in culta saepe caput humanum aequat; umbella fructifera, nedum matura; involucrum partiale; & semen idemque transverse dissectum; omnia in naturali magnitudine.

TABULA TRIGESIMA OCTAVA.

ANTHERICUM SEROTINUM. *Linn. syst. pag.* 244.
Phalangium foliis crassulis, scapo unifloro. *Hall. hist. helv. num.* 1209

Bul-

Bulbocodium alpinum, juncifolium; flore unico, intus albo, extus squalide rubente. *Ray. syn. 3. pag. 374. tab. 17. fig. 2.*

Pseudonarcissus gramineo folio, seu Leuconarcissus æstivus. *Bauh prodr. p. 27. Rudb. elys. p. 64. Bauh. pin. 51.*

Narcissus serotinus montanus. *Clus. pann. pag. 176.*

Non nisi supremis altissimarum alpium locis fovet aprica, graminosa, dura, rupestria; nempe in summis jugis Falkert, Leiterlteig, Winterthal, Eisenhut, Mitergskogel, Trögel; tum in summitate alpium Ortenburgensium, Spitalensium, Taureri Malnizensis, Leontinarum, &c. Bulbus solidus, ovatus, albus; thecis nonnullis instar perichætii involutus, ad folia, opinor, scapo approximata retinendo, nam verae squamae adsunt nullae. Forsan & hae thecae, aut si mavis indumenta, reliquiae duntaxat sunt foliorum praeteritorum annorum. Basis bulbi inferne in parcum radicularum capillitium abit. Odor illi nullus. Folia radicalia caulem persaepe superantia, primum triquetra, tum subcylindracea, denique planiuscula, semper crassiuscula, admodum angusta, linearia, graminea, acuta, levissima, nitentia, & velut setacea, saturo graminis virore. Caulis vix dimidiam attingens spithamam, erectus, teres, levis, apice uniflorus; foliis alternis tribus quatuorve sessilibus amplexicaulibus, lanceolatis, oris velut convolutis. Flos respective magnus. Calyx nullus. Corolla hexapetala; petalis oblongo-ovatis, integerrimis, erecto-patentibus, alternis interioribus, subaequalibus; ungue seu basi potius ipsa foveola, fovea nectarifera paulo supra basin internam fulciatur velut tuberculo extante horizontali flavo ex tribus minoribus constante. Caeterum petala sunt intus alba, striis tribus impressis rubellis picta, extus ex albo pallide & aquose rubella cum lineis tribus saturatioribus & extantibus peraratae. Stamina sex aequalia, petalis breviora, subulata, alba; antheris subrotundis, luteis. Germen columnare, triquetro-prismaticum. Stylus & ipse triquetrus, crassiusculus, a germine manifeste distinctus. Stigma truncatum. W.

TABULA TRIGESIMA NONA.

PÆDEROTA BONAROTA. *Linn. syst. edit. 13. pag. 58.*

Paederota caerulea. *Scop. carn. 2. pag. 41.*

Bonarota montana, italica, chamaedryos folio, flore caeruleo. *Mich. gen. pag. 19. tab. 15. fig. 1.*

Bonarota montana, italica, chamaedryos folio rotundiore & quasi crenato, spica caerulea hispidiore. *Mich. gen. pag. 19. tab. 15. fig. 2.*

Chamaedrys montis Summani. *Bauh. hist. 3. pag. 289.*

Floret abunde Junio Julioque Malborgeti in rupibus; tum in summitatibus apricis alpium Pontebanis, Troeg aut Trigel dictis, ubi folia saepe ovato-acuta esse solent, & vel supra etiam villosa, minus firma, neque nitentia, sed & color ibi corollae caeruleus multo magis dilutus, nonnunquam etiam albus. Denique in rupibus circa Leontium abunde. Et haec caespitose crescere solet. Radix intra rupium rimas arcte haeret, caules floriferos & alios steriles efferens. Caules aut simplices, aut basi ramosi, ramis duobus tribusve, erecti, lignescentes, spithamales, caeterum sat graciles, firmi, teretes, ex viridi rufescentes, villosuli. Folia constant opposita; inferiora minora, sessilia, rotunda; superiora oblonga, aut ovato-oblonga, aut etiam rotundata, sessilia aut subsessilia, semper sat firma, crassiuscula, dentata magis quam serrata, saturo viridia, supra glaberrima & nitentia, subtus villosa villis extantibus & sese demum magnam partem perdentibus; summa lineari-lanceolata & integra. Spica terminalis, initio sat compacta, sed tandem laxa. Bracteae lineares, villosae, flores aequantes, eandem rufae. Flores axillares in bracteis, pedunculati. Calyx quinque-

partitus; laciniis linearibus, rufis, villosis, æqualibus. Flos eleganter violaceus. Tubus albus. Labium superius longius, apicem versus latescens, æqualiter tridentatum. Labium inferius nonnihil brevius, ovato-acutum, plerumque integrum, & deorsum pendens. Stamina duo, violacea. Antheræ cordatæ, cœlestino-cæruleæ. Stylus altior staminibus, violaceus. Stigma subcapitatum, albidum. Reliqua, ut in Pæderota Ageria Linnæi. Odor nullus. W.

TABULA QUADRAGESIMA.

SEMPERVIVUM GLOBIFERUM. *Linn. syst. pag.* 335.

Sedum rosulis hirsutis, ciliatis; petalis subulato-lanceolatis, duodenis. *Hall. hist. helvetum.* 950

Sedum maius vulgari simile, globulis decidentibus. *Moris. hist.* 3. *p.* 472. *f.* 12. *t.* 7. *f.* 18.

Sedum vulgari magno simile. *Bauh. hist.* 3. *p.* 688.

